

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
32
1 B
5





ALPHONSI MUZZARELLI
SACRAE POENITENTIARIAE
THEOLOGI
DISSERTATIONES SELECTAE.



ROMAE MDCCCVII.
APUD ANTONIUM FULGONIUM
SUPERIORUM PERMISSU.



[illegible]


BENEVOLO LECTORI.

Argumenta, quae in his Dissertationibus evolvenda suscepi, non omnia quidem nova, sed omnia fere noviter pertractata. Quum enim veritas prope universa a doctissimis Theologis, qui nos praecesserunt, occupata fuerit, quaerebam sollicite, si quid adhuc superesset, quod tantorum virorum lucubrationes effugerit. Neque facile mihi hoc fuit invenire, quoniam exploranti theologicam suppellectilem non appareret quid adijcere, nisi haereditarium aurum in informem massam conflatum vellem quasi meum venditare. Vix autem argumentum unum veluti intactum perscrutanti mihi sese obtulit, scilicet de Jure Summi Pontificis in destitutione Episcoporum. *Illud potius occurrit, aliqua esse argumenta, quae historice magis, quam theologice discussa fuere, ut est illud*: de Regno Millenario Christi visibiliter conversantis in terra; *alia, quae propter dissentientes Scholae opiniones adhuc sub lite sunt; ut illud* de Regula Moralium Opinionum; *alia denique diffuse quidem a Canonistis, et Theologis disputata, sed forte numquam satis diligenter in fundamentalibus principiis explorata, ut il-*

lud de Oblationibus, Primitiis, et Decimis. *Quare ad hujusmodi argumenta meum qualemcumque laborem contuli. Neque in animo fuit, ut de singulis volumina conficerem, quod non admodum difficile foret in hac amplissima eruditionis congerie, quam praestantissimi viri nobis undique compararunt, si ad omnia, quae haec argumenta aliquo modo attingunt, excurrere voluissem. Sed mihi numquam hujusmodi consilium in animo sedit, quia in obviis, in satis cognitis, in indirectis, in suboscuris vel rationibus, vel auctoritatibus, satius semper judicavi lectorem ad se ipsum, aut ad alios auctores remittere, quam illum a recto itinere avertere, et currentem supervacaneae eruditionis imposita sarcina defatigare. Illud maxime prae oculis habui, ut in omni disputatione principia statuerem, unde cursum arripere, et terminum, ubi oculum intendere; deinde semitam explorare, per quam rectissime, et quantum fieri potest citissime, ad propositum pervenire. Non enim ut in circulo disputationis initium arbitrio nostro sumi debet, et circumduci. Aliter per repetitos orbes circumagitur lector, et quum denique gradum sistere ei conceditur, quadam veluti vertigine ex rotatione concepta, vel unde digressus fuerit, vel quam se-*

mitam percurrerit, vel quae viderit, distincte meminisse non potest. Sectatus sum igitur brevitatem plerisque amicam, selectiora persequens, atque illa recto ordine dispcnens; et si aliqua praetermisi, quae forte superflua non fuissent, Doctores et eorum Opera, in quibus ea quisque invenire possit, annotavi. Si quis autem annotata Opera consulere voluerit, ibi aliorum Doctorum sententias per se ipsum deprehendet. Hoc enim mihi proposui, ut eos classicos Auctores pro testimonio afferrem, a quibus ad alios per citationes lector deduci possit; atque ita quae ego praetermiseram, oculis suis subijcere, et diligenter si libeat explorare. Ita ne eruditis, qui omnia norunt, molestus essem; caeteris, qui majorem in subjecta materia extensionem exoptarent, satis ut opinor provvisum. Denique quid reipsa praestitum sit, erudite et candide lector judicabis.

INDEX DISSERTATIONUM.



DISSERTATIO PRIMA

De Regula Moralium Opinionum prò Confessariis.

QUUM Homo sub lege vivat, atque eam adimplere teneatur sive divinam, sive naturalem, sive humanam, opus habet aliqua regula moralium actionum, qua se dirigat, et a periculo culpabilis transgressionis seipsum avertat. Haec autem regula dividi potest in regulam internam, et externam. Regula interna communiter statuitur in Conscientia, quae est dictamen rationis, seu actus intellectus, quo judicamus aliquid hic et tunc agendum, vel omittendum esse tamquam bonum, vel malum. Veruntamen ut intellectus, sive ratio, judicium suum recte proferat, opus habet aliqua regula tuta, et proxima, quam inspiciens rationabiliter, et prudenter judicare possit, se a recta semita in suo dictamine non deflectere. Haec autem regula est ea, quam voco Conscientiae regulam externam, et tutam in materia Moralium Opinionum. Neque enim opus est inquirere regulam pro recto dictamine Conscientiae in illis casibus, in

quibus adest lex clara aut naturalis, aut divina, aut humana, neque in iis, in quibus praesto est deffinitio Ecclesiae, communis Doctorum auctoritas, aut ineluctabilis consuetudo, quae omnia pariunt aut evidentem, aut moralem certitudinem. Ipsa enim moralis, aut evidens certitudo sive legis, sive libertatis, est tutissima Conscientiae regula, de qua a nemine disceptatur. Quare hujus nostrae dissertationis scopus est solummodo investigare regulam, quae maxime Confessarios dirigat in obscuris et difficilioribus casibus, qui ad eos a rudibus et idiotis poenitentibus deferuntur, quum hujusmodi poenitentibus Confessarii sententia, et auctoritas id fere omne exhibeat, quod ordinarie illos ad agendum determinat.

Igitur patet, quod ante omnia opus est, ut hujusmodi regula sit in praxi *tuta*. Quum autem dico *tuta*, intelligo, quod talis sit, quae non exponat hominem periculo culpabilis, sive formalis transgressionis in Legem. Hoc enim omnes leges exigunt, ut nemo eas culpabiliter offendat; ideoque Divinae leges poenas decernunt in eos transgressores, quorum culpa sapientissimis Dei oculis manifestatur; humanae autem leges poenas statuere in reos aut vere tales, aut saltem praesum-

ptos, quum non possit internos animi actus humanus Legislator introspicere. Si quis autem talem regulam exquireret, quae ab omni prorsus periculo non solum formalis, sed etiam materialis transgressionis semper averteret, is non simpliciter tutam, sed tutiorem regulam exigeret, quae viam salutis redderet non solum arctam, sed etiam humanis viribus imperviam; teneremur quippe ad jejunandum, et restituendum, quaecumque formido occurreret de obligatione jejunii, aut restitutionis, et similium; ideoque ab Alexandro VIII. merito proscripta fuit tertia illa propositio, quae sic habet: *Non licet sequi inter opiniones probabiles probabilissimam*. Vide Viva in cit. propos., et in propos. 1. damnat. ab Innoc. XI. Et revera, quum lex juxta D. Thomam debeat esse, *Ordinatio rationis ad bonum commune promulgata* 1.2. qu. 90. art.4., lex Tutiorismi, quae contra bonum communis salutis vim inferret, et plus praestaret incommodi, quam commodi circa praeceptorum observantiam, non potest sine injuria supponi, quod a Sapientissimo, et Benignissimo Deo statuta fuerit. Quis enim non videat, per talem obligationem formalia multiplicari peccata, et innumeras anxietates, scrupulos, dubia, et difficultates orituras in offi-

ciis, contractibus, directione propriae, et alienae Conscientiae? Sufficit igitur, ut Conscientiae regula sit in praxi tuta a periculo culpabilis praevaricationis.

Deinde opus est, ut haec regula sit *certa*, scilicet fundata in principiis certis tum ex ratione, tum ex auctoritate, unde quisquis recte judicare possit, se via tuta incedere, prudenter agere, et ab omni culpa vacare. Nemo enim prudenter et rationabiliter suarum actionum regulam amplecteretur fluctuantem, et incertam, et quam dignosceret inniti super principiis disputabilibus, ambiguis, et dubiis.

Praeterea debet esse hujusmodi regula quantum fieri potest *universalis*, scilicet quae apta sit tuto dirigere hominem ordinarie in suis actionibus; unde reiicienda est regula, quae multis exceptionibus scatet, et a qua in plurimis casibus recedere oportet. Tunc enim non una regula, sed plures humanarum actionum proximae regulae assignari deberent, quae multiplicibus quaestionibus, et erroribus hominem in suis actibus exponerent, et quae non praesumuntur a Deo praescriptae hominibus, quos tuto simul, et suaviter in via mandatorum suorum dirigere voluit. Haec autem difficultas magis innotescet, si huma-

narum legum infinitum pene numerum consideremus, quarum sensus nimis fluctuaret, si plures regulae, aut una regula cum pluribus exceptionibus pro earum observantia statuatur. Neque vero confundi debent regulae juris cum regula Conscientiae, quam inquirimus. Illae quidem multiplices esse debent, quia ad diversas legum interpretationes inserviunt; haec autem quantum fieri potest simplex, et ad clarum significatum coarctata. Immo sunt illae quaedam veluti principia, quae in ultimam conscientiae regulam influunt, et eam ad determinandam conscientiam proxime, et expedite instructam constituunt. Igitur externa regula morum, quae ordinaria, et fere unica sit, ideoque quantum fieri potest universalis, omnibus aliis a rationali homine anteferenda est.

Denique dico, quod talis regula debet esse *ad praxim reducibilis*. Quum enim sit regula practica morum, continere debet ejusmodi praecepta, quae sint accommodata communi hominum intellectui, et simul humanis viribus. Nisi enim talis esset, imponeret onus moraliter intollerabile, innumeris scrupulis, perplexitatibus, et erroribus obnoxium. Non potest autem praesumi, quod benignissimus Deus onus nobis imponere voluerit, quod

moraliter impossibile sit ad portandum. *Non solum autem dicitur impossibile*, ut ait S. Antoninus p. 1. tit. 1. c. 10. §. 10. reg. 7., *quod absolute non est possibile, sed etiam videtur interpretandum secundum virtutem Epichejae in Lege nova esse impossibile, quod vix est possibile, ut pote nimiam habens difficultatem. Alias quomodo salvaretur illud: Onus meum leve.* Itaque omnis regula continens praecepta, quae alligant onera gravia, et importabilia, et imponunt ea in humeros hominum, sicut a Domino Jesu Christo reprobatur, ita quoque est a nobis reprobanda. *Matth.* 23.

Jam vero inquirendum superest, utrum inveniatur adducta regula, quae ut diximus sit *tuta, certa, universalis, et ad praxim reducibilis*. Atque haec maxime investiganda est, ut jam proposuimus, prò Confessariis. Ipsi enim ea non solum indigent prò recto dictamine propriae Conscientiae, sed etiam prò recto moderamine Conscientiae aliorum, et praecipue idiotarum, quorum ipsi fiunt Doctores, et quasi regula proxima, et externa in moralibus eorum actionibus. Et quidem si imprudentem, incertam, versatilem, obscuram regulam Confessarii adhibeant, necesse est, ut suos poenitentes in incertum ferant, aut in errorem impellant. Quare haec mea

disceptatio praecipue, ac fere unice ad Confessarios dirigitur, unde de iis, et pro iis me ordinarie loqui profiteor; quod prae oculis a Lectore semper habendum praemoneo.

Fieri autem nequit, ut ea regula inveniatur in privatis Auctoribus. Ipsi enim, quum in assignanda hujusmodi regula inter se dissideant, eam saltem nec certam, nec universalem praescribere possunt. Superest igitur, ut ea expressis verbis designata indicetur in aliquo Doctore, qui super caeteros eminenti polleat auctoritate. Hic autem mihi praesto est, scilicet Summus Pontifex Benedictus XIV., qui privatae insigni, et rarae doctrinae etiam Apostolicae Sedis auctoritatem copulavit. Et eo magis ejus auctoritas nobis in pretio esse debet, quia post plurima de hoc argumento inter theologos exorta dissidia scripsit; ideoque praesumendum est, quod auctoritate sua theologicis concertationibus pacem, et Conscientiarum perplexitatibus medelam afferre voluerit. Ipse vero in Constitutione, quae incipit *Apostolica Constitutio* data Anno Jubilaei, et invenitur Bullarii *tom.* 3. *n.* 19. ita loquitur in §. 21. *Cum igitur aut difficilior, aut nova quaedam facti species ad Confessarium defertur, ideoque libros evolvere illi necesse sit, non sine sobrietate, ac librorum de-*

lectu id agendum. Notum quippe est, in tanto Scriptorum numero aliquos prodiisse, quorum opinio, ac sententia Evangelicae simplicitati, ac Sanctorum Patrum doctrinae non bene consonant. Complures opiniones (verbis hic utimur Praedecessoris nostri Alexandri VII. in Decreto edito die 7. Septembris 1665.) Christianae disciplinae relaxativas, et animarum perniciem inferentes, partim antiquas iterum suscitari, partim noviter prodire, et summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad Conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, et quem si pro recta regula Fideles in praxi sequerentur, ingens erruptura esset Christianae vitae corruptela. Nolumus hac in re pressiorem sermonem instituere, nolumus vexatissimas quaestiones, quae circa Scriptorum fidem, eorumque doctrinae integritatem agitantur, attingere. Sat erit Confessarios monuisse, ut in re dubia propriae opinioni non innitantur, sed antequam causam dirimant, libros consulant quamplurimos, eos cum primis, quorum doctrina solidior, ac deinde in eam descendant Sententiam, quam Rätio suadet, ac firmat Auctoritas. Nec aliud sane docuimus in nostra Encyclica super Usuris, quae

occurrit ordine 143. *Bullarii nostri tom.* 1. *ubi* §. 8. *ita scripsimus* ; *Suis privatis opinionibus ne nimis adhaereant, sed priusquam responsum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter caeteros praedicantur* : *Deinde eas partes suscipiant, quas tum Ratione tum Auctoritate plane confirmatas intelligent. Idipsum modo repetimus. Nostra quippe sententia non solis rei usurariae limitibus circumscribitur, sed ea omnia complectitur, quae sive ad forum Sacramentale, sive ad rectum Conscientiarum regimen quoquo modo conferre possunt*. Huc usque Benedictus XIV. in edit. Roman. Bullar. typis Propag. Fidei 1753. tom. 3. Habes hic paucis verbis, quae sententia in rebus obscuris, et difficilioribus amplectenda ordinarie sit ad moderandas Conscientias, scilicet ea, *quam Ratio suadet, ac firmat Auctoritas*. Optime autem dicitur primo, regulam moralium actionum in obscuris esse debere eam sententiam, quam *Ratio suadet*, scilicet quam ratio veluti veram aut verisimilem ita proponit, ut inducat hominem prudentem ad praebendum sibi assensum. In hoc enim stat rationabilis suasionis vis; unde fit ut opinio, in qua ratio prudentis viri quiescere nequit, quamvis interdum aliquam apparentem veritatem, aut verisimilitudinem praeseferat, omnino tamen

sit refutanda : Sequitur : *ac firmat Auctoritas*. Est enim doctorum hominum auctoritas maximus cardo, a quo regitur humani intellectus imbecillitas, ita ut ignaris, et indoctis hujusmodi auctoritas stet fere semper prò ratione. Quum enim idiota impos sit ad examinandas sententiarum intrinsecas rationes, et ad ferendum de eis judicium, stat illi prò suo judicio judicium doctorum hominum, et non absque ratione, immo prudentissime suadet sibi, illorum sententiam, qui docti, et probi sint, validissimis rationibus inniti, ideoque posse ad eorum praecepta, et consilia suam Conscientiam conformare. Unde homo rudis sequendo consilium probi, prudentis, et docti Confessarii, sequitur sententiam, quam auctoritas sibi suadet, et ratio reflexa firmat, ordine quidem quasi inverso, sed qui unicus illi suppetit in obscuris rebus ad formandum rectum suae Conscientiae dictamen. Hac autem auctoritate etiam docti indigent. Nihil enim facilius, quam ut ab erudito, et ingenioso viro quaecumque futilis ratio, et cavillationes ipsae, et sophismata interdum prò gravibus rationibus assumantur, nisi selectiores Doctores evolvat, et eorum contraria argumenta cum propria sententia diligenter conferat. Quare in opinionum regula non

alternative, sed copulative, cum ratione auctoritas ordinarie convenire debet. Quod si in aliquo peculiari casu expressa, et apposita auctoritas praesto non sit, non desunt certe in gravioribus Doctoribus similes casus, a quibus resolutionum exemplares rationes desumi possint, aut docti, et probi viri, qui consulantur.

Jam vero haec regula facile demonstratur, quod sit et *tuta*, et *certa*, et *fere universalis*, et *ad praxim reducibilis*. Et primo, quod sit *tuta*, nemini in dubium venire potest, quum fuerit a Summo Pontifice proposita, cui propter doctrinam, et auctoritatem nihil deerat ad definiendam tutam praxim prò regula morum; maxime quum Benedictus XIV. haec praescripserit post tot dissidia circa hanc materiam, atque rationes, et difficultates hinc inde expenderit; unde non solum mature, et deliberate, sed etiam cum plena, et perfecta hujus argumenti cognitione ad hanc regulam determinandam descendit. Et revera hanc regulam Ecclesiae Doctores, Patres, Concilia, et Summi Pontifices sequuti sunt, quum de rebus controversis, et dubiis deliberandum fuit. Voluerunt enim, ut auctoritas simul et ratio consuleretur, et quod rationi consonum, et ab auctoritate confirmatum inveni-

retur, id Christifidelibus observandum intimarent. Hanc ipsam regulam profitebatur S.Augustinus scribens Hieronymo, sibi in praxi esse; exceptis enim Canonicis Scriptoribus, quos numquam errasse credebat, de aliis subjungit. *Alios autem ita lego, ut quantalibet Sanctitate, doctrinaque polleant, non ideò verum putem, quia ita ipsi senserunt, sed quia mihi per alios Auctores, vel Canonicas, vel probabiles rationes, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt*. Et refert. Decr. p. 1. dis. 9. c. 5. et paucis variat. in ep. 82. n. 3. noviss. edit. Et nisi talis regula esset tuta, alia assignari deberet, quae tuta esset, quum non possint homines sine tuta Conscientiae regula legem adimplere. Alia autem exhiberi nequit, nisi tutissima, scilicet quae amoveat omne prorsus periculum quanquam remotum transgrediendi legem non solum formaliter, sed etiam materialiter, ex qua numquam liceret sequi opinionem inter probabiles probabilissimam, quod vidimus fuisse ab Alexandro VIII. reprobatum. Quare ait S.Antoninus in Summa p. 1. cap. 10. *Eligere viam tutiorem consilii est, non praecepti; aliter oporteret multos ingredi in Religionem, in qua tutius vivitur, quam in saeculo*. Et sic in omni dubio de obligatione restitutionis praescri-

bi deberet restitutio, quia haec tutior regula est, immo tutissima, ad non laedendam justitiam in proximum. Quam regulam si amplecterentur Confessarii, facillime suos poenitentes impellerent ad excutiendum jugum divinae Legis, quia desperarent se posse eam rite observare. Etenim ut ait D. Thomas 2. 2. qu. 20. art. 4. *sublata spe, irrefraenate homines labuntur ad vitia, et a bonis laboribus retrahuntur*. Et haec ratio est, propter quam Probabilioristae suam sententiam contra Tutioristas defendunt, uti videre est inter caeteros apud Patrem Flavianum Ricci *in additionib. ad Teolog. P. Reiffenstuel tract.* 1. *dist.*4. *qu.* 6. §. 8. Quia Deus a nobis non exigit, ut operemur semper cum metaphysica, aut physica evidentia de honestate materiali actionis nostrae: hoc enim est supra naturae humanae vires pro hoc vitae statu; sed solum a nobis exigit, ut numquam operemur sine firma, et prudenti persuasione, quod actio nostra hic et nunc ponenda non sit peccaminosa, sed licita. Consonat P. Daniel Concina, qui in Theolog. Christian. contr. lib. 2. Appar. diss. 2. cap. 10. sic ait: *Vox tutior significare potest majorem securitatem a periculo peccandi etiam materialiter, et hoc in sensu non semper tenemur ad tutiora. Licitum est exequi id, quod*

omnibus serio expensis apparet prudenter verum et honestum. Atqui is, qui in obscuris, et disputabilibus tandem exequitur id, quod omnibus serrio expensis *ratio sibi suadet, et auctoritas firmat*, sequitur illud, quod sibi apparet prudenter verum, et honestum. Ergo qui hujusmodi regulam amplectitur, habet Conscientiae regulam tutam, et irreprehensibilem.

Quod autem haec eadem regula sit *certa*, apparet manifeste ex supra dictis. Etenim innititur principiis certis prudentiae, honestatis, voluntatis Divinae, idoneitatis humanae naturae, auctoritatis Ecclesiae, et praxis proborum, et sapientiorum hominum. Item non improbabitur neque ab iis, qui contrarias inter se partes sequuntur, sive sint Probabilistae, sive sint Probabilioristae. Denique est etiam certa in hoc sensu, quod clara, et determinata est, non ambiguis, et diversis interpretationibus obnoxia, ideoque omnium captui, et usui, quantum fieri potest, accommodata. Ex hoc autem sequitur, quod sit etiam *universalis*, quum ab omnibus liquido intelligi, et exequutioni mandari facile possit. Sed hujusmodi regulam ex eo potissimum universalem appello, quod ad omnes fere casus se extendat. Quaecumque enim agenda occurrerint, tuto operabimur, si sequamur

id, *quod ratio suadet, et auctoritas firmat*, et si reiiciamus id, quod ratio non suadet, et auctoritas non firmat. Immo non solum pro dubiis, et controversis casibus haec regula nos dirigit, sed etiam pro iis, qui apud catholicos non controvertuntur, quia habent fundamentum certum, et manifestum in Lege Divina, aut Naturali, aut Ecclesiastica. Ubi enim adest certa, et clara lex divina, naturalis, et ecclesiastica, aut ipsius Ecclesiae deffinitio, nulla potest esse auctoritas in contrarium, quae vel minimi aestimetur, et quaecumque ratio in oppositum appareat, reputanda est fallax, quia ex ratione reflexa sed certa persuadere nobis debemus, quod illa sententia rectae rationi adversetur, ideoque quod insufficiens sit ad merendum assensum hominis prudentis. Pone enim exemplum de dubio occurrente in administratione Sacramenti, quod ejus valorem respiciat. Ratio mihi suadet, quod in hac materia, quae est materia facti, et non dependens ab opinione hominum, sed ab institutione Christi, teneor procurare media prorsus certa ad eorum valorem, et propter Sacramenti reverentiam, et propter proximi salutem. Accedit auctoritas Innocentii undecimi, a quo inter damnatas propositiones pri-

ma recensetur ea, quae asserit: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem relicta tutiori*; ideoque et ratio et auctoritas mihi praescribit tutam regulam in administratione Sacramentorum. Idem dicendum de medico, qui tenetur adhibere pharmacum probabilius curativum, et de Judice, qui debet in judicando sequi probabiliorem sententiam. Etenim praeter communem auctoritatem, quae ita docet, ratio ipsa non solum mihi suadet, sed penitus me convincit, quod qui tenetur ex justitia, aut charitate proximo succurrere in re gravi, debet tutiora media adhibere; aliter injuste aut injuriose exponeret proximum gravi periculo aut vitae, aut famae, aut fortunarum, quum effectus in his rebus nôn ab opinione pendeat, sed a facto vel utili, vel inutili, vel nocivo. Igitur adducta regula etiam ex hoc capite est praeferenda, quia unica, aut fere unica, ideoque universalis, et applicabilis ad omnes morales actiones.

Haec autem universalitatis praerogativa non invenitur in aliis regulis, quae solent assignari, sive probabilismi, sive probabiliorismi, quia istae pluribus, et implicatis exceptionibus obnoxiae sunt, uti videre est apud Auctores, qui eas sequuntur, adeo ut etiam

docti homines vix interdum mentem suam patefacere valeant in earum usu praescribendo. Ac praeterea non possunt illae esse universales quoad personas, quia qui unam earum amplectitur, aliam omnino respuit et reprobat.

Remanet, ut proposita regula ostendatur maxime pro Confessariis, qui illa indigent ad aliorum Conscientias moderandas, *ad praxim reducibilis*. Et primo in hoc considero facilitatem, seu minorem praxis difficultatem, quum nulla possit esse ita facilis, ut aliquam difficultatem non involvat. Haec autem facilitas patet ex usu, quia statim ac in rebus controversis post diligens examen, et omnibus serio expensis, inveniam opinionem, quam recta ratio mihi suadet, et plures classici Auctores confirmant, jam non est mihi opus ulterius inquirere, et Doctores omnes perscrutari, singulas eorum rationes,et auctoritates conferre, et judicare de eorum inaequalitate, et praeponderantia,quod esset onus moraliter intollerabile, ut pote innumeris scrupulis,perplexitatibus, et periculis errandi obnoxium. Secundo considero hujus regulae praxim, quatenus magis remota est ab extremis,ideoque minus periculosa. Est enim aeque distans a laxitate,et a rigorismo, quia vir probus,et saltem mediocriter doctus non facile suadetur a quacum-

que ratione, et auctoritate, ideoque declinat periculum laxitatis; et ex alia parte non ita inhumanus erit, ut postquam dignoverit gravitatem rationis ex prudenti suasione, quam causat in suo intellectu, et invenerit in classicis Doctoribus eamdem sententiam plane confirmatam, velit nihilominus eam suo poenitenti inhibere, quia opposita est magis tuta.

Addo autem, quod in posterum semper meminisse oportebit, per adductàm regulam non excludi, ut Confessarius in rebus obscuris, et difficilioribus, consilium etiam sapientioris et prudentioris exquirat. Immo in pluribus circumstantiis hoc omnino, quamdiu fieri poterit, et licitum erit, praestandum est. Ita fiet, ut denique omnibus hinc inde expensis, collatis inter se auctoribus, rationibus et difficultatibus alteri expositis, et ejus sententia audita, securius ad deliberationem quisque deveniat. Et hujusmodi praxis communis est etiam Probabilismi, et Probabiliorismi methodo, quin ex ea harum opinionum usus evertatur. Quum enim de hujusmodi rebus disputatur, non excluduntur conditiones, et modificationes, quae subintellectae vocantur, et ab omnibus admittuntur. Quod notavi, ut id lector extendat ad alia similia.

Sed dices: Quid agam, si ratio mihi sua-

det magis unam sententiam, quam alteram? Respondeo, quod aut excessus suasionis est modicus, aut est magni momenti. Si modicus, dico, quod parvi pendendus est, quia in parva praeponderantia nemo potest ex hoc capite prudens judicium formare prò veritate, aut falsitate alicujus sententiae, quum talis modica praeponderantia facilime apparens tantum sit, versatilis, et fallax. Si autem excessus sit magni, aut notabilis momenti, tum dico, quod in praxi ordinarie non subsistit apud intellectum suasio rationum pro contraria sententia, ideoque iste casus semper mihi visus est admodum rarus in praxi. Magna enim aut notabilis praeponderantia rationum prò una sententia aufert apud intellectum gravitatem prò altera, et eam efficit apud ipsum non solum minus gravem, sed etiam levem, et improbabilem. Si autem id aliquando accidat, ut adsit simul major et minor notabilis suasio pro contradictoria respective sententia, non auderem quidem aliquid addere Benedicti XIV. regulae, qui simpliciter id sequi consulit, quod ratio suadet, non id, quod ratio magis suadet.

Quid vero, si plures Auctores classici stent pro una sententia, quam pro alia, ideoque una sententia magis auctoritate firmetur, quam

alia? Respondeo: aut numerus Auctorum, qui classici judicantur, est impar ad acquirendum prudentem assensum, aut est sufficiens. Si impar, manifestum est, quod attendi non debet in proprio judicio. Si sufficiens sit, cur ipsis adhaerere non possum, dummodo aliunde ratio me suadeat de gravitate rationum? Aliter in infinitum, et in incertum protrahendum erit examen. Non enim auctoritas Doctorum, qui classici vocantur, commensuratur tantum ab eorum numero, sed etiam a relativa eorum praeponderantia, quum inter classicos ipsos plures gradus distinguantur; similiter a rationibus, quae ab ipsis adducuntur, quum etiam Auctores classici aliquando dormitent; denique ab existimatione, quam sibi in aliquo peculiari casu resolvendo nonnulli acquisiverunt, quum saepe accidat, auctorem caeteroquin minus insignem praevaluisse in aliqua resolutione apud communem opinionem contra eorum decisionem, qui Auctores primae classis appellantur. Vide Sylvestr. *v. opinio n.* 2. Quis igitur dicet, adstringi deberi Confessarium ad instituendum judicium de praeponderantia auctoritatis Doctorum in aliquo peculiari casu, quum talis praeponderantia a tot circumstantiis, et requisitis pendeat, ut fallere etiam possit, et revera non raro fallat

judicium quoque doctissimi, et prudentissimi hominis? Numquid praesumendum est, quod voluerit Deus, quum agitur de legis observantia ad salutem necessaria, nos coniicere in tot difficultates, et ambages, unde extricari non possimus, et a quibus fere ad desperationem impellamur? Certe vir caeteroquin probus, prudens, et mediocriter doctus, qui ingenii licentiae non obsecundet, et alicui parti mordicus non adhaereat, et conscientiam suam sine praeventione, aut scrupulo audiat, irreprehensibilis reputandus erit, quum in aliquo casu controverso eam sententiam amplectitur, quam gravis ratio sibi suadet, et sapientiorum Doctorum auctoritas firmat. Ideò prudentissimus Pontifex Benedictus XIV. ab his comparativis praeminentiis abstinuit, et ad sententiam nos descendere unice praescripsit, *quam ratio suadet, et firmitas auctoritas*. firmat

Instabis ulterius: Quid autem, si inveniam apud plures classicos Doctores opinionem, quam mihi ratio non suadet, aut quam ipsa ratio mihi dissuadet? Respondeo, me semper abhorruisse ab his interrogationibus, quibus si quis respondere velit, tot distinctiones, et subdistinctiones obscuras, et versatiles, et abusivis interpretationibus obnoxias

proferre cogitur, ut satius sit, aliquos particulares casus prudentiae, doctrinae, et probitati Confessariorum in praxi solvendos relinquere. Generice tamen dicam, quod ubi non adest Ecclesiae definitio, aut communis Doctorum sententia, numquam adducar, ut eam opinionem amplectendam proponam, quam ratio neque mihi suadeat, nec suaserit peritis Auctoribus a me diligenter consultis, quamvis inveniatur apud aliquos classicos Doctores. Etenim suppono semper in casu proposito, quod plures classicos Doctores consuluerim, ut praescribit Benedictus XIV., et deinde omnibus serio expensis, ratio me suadeat pro una eorum parte, et pro contradictoria non suadeat. Unde fit, ut mea ratio fulciatur ab intrinsecis rationibus, et extrinseca aliquorum Doctorum auctoritate contra aliorum rationes, et auctoritatem. In hoc autem casu tantum mihi valet adversae sententiae patrocinatorum auctoritas, quantum valent eorum rationes; et si eorum rationes post diligens examen non sint aptae ad assequendum meum assensum, in eorum assertione simpliciter non acquiescam. Scio enim, quod, si quae sunt rationes realiter graves, viam suam exerere debent etiam apud hominem mediocriter peritum. Quod si id non assequantur, de ea-

rum gravitate summopere dubitandum, si non omnino desperandum judico. Et ex alia parte frequens, et attenta Doctorum lectio nos instruit, quod etiam doctissimi homines interdum hallucinantur, et cavillationes pro rationibus aliquando assumunt, maxime quia plurimi ex classicis Doctoribus, quos terimus, ab aristotelica palaestra educti ad moralem disciplinam se contulerunt, a qua palaestra cum accurata dialectica, quam magni facio, etiam nonnulla vitia, quae omnino respuo, in sua opera invexerunt. Mihi arridet summopere sententia Sylvestri, qui ait in Sum. V. *Opinio n.* 2. *Non generatur aliquod praejudicium veritati, cum inter diversas opiniones a Magistris approbatas, et Scripturis authenticis annotatas, illam quis amplectitur, quae sibi videtur magis consona rationi*. Et inferius. *Sed neque ex multitudine auctorum quod melius, et aequius est judicato, cum possit unius, et forte deterioris sententia multos in aliqua parte superare, quod menti commendandum est*. Juvat Theologorum auctoritas, sed quum mihi per alios Auctores, vel Canonicas, vel probabiles rationes, quod a vero non abhorreat, persuadere poterunt. *S. Aug. l. c.* Ad quid enim ratiocinandi facultas nobis data est, si rationi cuicumque extrinsecae cedere omni-

no debeamus, etiam cum ratio intrinseca nos non suadet, nec adest Ecclesiae definitio? Cur tempus studendo, et legendo, et meditando terimus, si solum ex aliquorum responso propositis casibus prudenter, et tuto respondere possimus? Ratione, et auctoritate suffulti, quos Doctores habemus, Doctores facti sunt; et injuriosum, et injustum erit, consilium poenitenti praebere, quod si quis mihi daret absque suasibili ratione, et unice in verbo alicujus doctoris fundatum, statim respuerem tamquam arrogans, et temerarium. Vide *Azor. l. 2. c. 16. qu. quinto qu.* Atque hoc dico quoad regulam, quam Confessarius a poenitente consultus prae oculis habere debet. Quod si poenitens alioquin probus, ac sufficienter instructus asserat, se persuasum esse rationibus, quae quamvis mihi non arrideant, non tamen omnino falsae dignoscuntur, et insuper ad ejus opinionem gravium Doctorum auctoritas concurrat, non condemnabo quidem ejus electionem, quia sequitur sententiam, quam asserit, rationem sibi suadere, et auctoritatem confirmare; sed nihilominus abstinebo ab approbatione sententiae, quam ratio mihi non suadeat. Multo minus descendam ad sententiam, quam mihi ratio omnino dissuadet, quamvis ful-

ciatur auctoritate trium, aut quatuor Auctorum non parvi nominis. Contra propriam rationem, et multorum auctoritatem se determinare in re controversa unice propter aliquorum assertionem, non est hominis prudentis, et mediocriter in hac disciplina versati.

Ex dictis aliam objectionem aliquis desumere poterit, et inferre, quod proposita regula sit incerta ad assequendam veritatem. Etenim quod mihi ratio suadet, alteri ratio non suadet, et alicui etiam dissuadebit. Respondeo primo, quod haec objectio est communis omnibus regulis, quae in diversis scholis exhibentur. Quod enim tibi est probabile, mihi fortasse erit probabilius, et alteri omnino improbabile; pariter quod alteri est probabilius, mihi vix probabile erit, tibi autem omnino probabilitate destitutum. Nec certitudo ipsa moralis hunc scopulum semper evadit, et videmus eandem sententiam apud aliquos certam esse, quae est apud alios incerta. Non est igitur exigenda in rebus controversis persuasio rationis absoluta, et universalis, quia si hujusmodi persuasio aderit de aliqua sententia, tunc talis sententia extra controversiam fit, et moralem certitudinem assequitur, nempe quia possidet communem doctorum

hominum persuasionem, et approbationem. Unde sufficit persuasio relativa, et prudens, sicuti in probabilismo, et probabiliorismo a sapientioribus admittitur. Quum enim persuasio rationum est omnibus doctoribus communis, non jam in incerto versamur, sed habemus sententiam certam, qualis resultat ex communi Thologorum doctrina, et quam sequi tenemur, nisi forte evidens in contrarium ratio, et non ante a doctoribus ad examen adducta occurrerit. Et nisi talis relativa sententiae gravitas recipiatur, ad tutiorismum confugere necesse erit, quod tamen ab omnibus reprobatur. Respondeo secundo, quod proposita regula, si non ducit ad assequendam cum certitudine veritatem, admovet tamen hominem veritati eo meliori modo, quo fieri potest in hac materia, et in hac hominum conditione. Immo potius Tutiorismum est regula incertissima, et fallacissima ad assequendam in hac materia veritatem, quum veritas hic consistat in prohibitione aut permissione alicujus actionis, et tutiorismum semper prohibitum supponat, quod potest esse, et est saepe permissum; ideoque non solum a veritate declinat, sed etiam ad falsum inevitabiliter aliquando inducit. Injustum autem est exigere certitudinem assequendae semper ve-

ritatis in regula, quae praescribitur pro casibus controversis, in quibus supponitur, nec adesse, nec inveniri posse veritatis certitudinem. Ea tamen optima regula erit in incertis, quae veritati appropinquat, et eam ut plurimum assequitur, quamvis non semper assequatur, dummodo simul sit regula tuta, certa, universalis, et ad praxim reducibilis, qualem ostendimus esse regulam a Benedicto XIV. propositam. Respondeo tertio, quod ad assequendam cum majori spe, et fundamento veritatem, consulto haec regula complectitur tum rationem, tum auctoritatem. Esto enim, quod interdum tibi tua ratio suadeat, quod mihi mea non suadet, aut etiam dissuadet, ideoque aut tuae, aut meae sententiae in tali casu falsum subesse debeat. Sed cum ratio non sufciat ad amplectendam sententiam, nisi etiam accedat auctoritas, minus frequens erit casus, in quo sententia, quam tibi ratio suadet, et firmat auctoritas, a me tamquam futilis, et vana reiiciatur. Ipsa enim auctoritas, et rationes ab Auctoribus adductae facilius ad assentiendum tuae sententiae animum meum inclinant, et pondus addunt tuis rationibus, quae per se solae assensum meum ad se trahere forte non valerent. Quare non

imperfecte, sed adaequate haec regula servanda erit, quoties commodum praebeatur eam servandi; et ex hac ipsa ratione ab adversario adducta non mihi arridet opinio eorum, qui rationem ab auctoritate sejungunt, et alterutram pro regula Conscientiae in materia morum praescribunt etiam in casibus, in quibus utraque inveniri, et componi potest. Hoc enim frequentiam in sententiarum diversitate auget, ideoque etiam falsarum opinionum numerum. Neque dicas, quod idiotae, et rudes super auctoritate prudentis Confessarii unice se determinant, ideoque necesse non est, ut in electione opinionum ratio cum auctoritate concurrat. Etenim haec nostra elucubratio ad Confessarios, ut praemisimus, singulariter dirigitur, atque illis hujusmodi regulam proponit Benedictus XIV. Planum autem est, quod, si Confessarii hanc regulam servent, etiam poenitentes idiotae, et rudes sequentur sententiam, quam ratio suadet, atque auctoritas firmat. Tunc enim ipsorum sententia erit secundum rectam rationem Confessarii, quae defectum supplet rationis in poenitente. Contra vero nisi Confessarius ita se dirigat, poenitentis fiduciam facilime fallit, et ad errandum saepe saepius inducit. Homo enim idiota, et rudis, qui alioquin de

doctrina, et prudentia Confessarii non dubitat, firme tenet, quod Confessarius secundum rectam rationem omnibus serio expensis sibi consulat, et suum intellectum ipsi subiicit, nec suspicari potest, quod Confessarius illi suadeat id, de quo ipse antea rationabiliter, et prudenter suasus non fuerit. Dirigit se poenitens secundum persuasionem rationis reflexam, quae fundatur in Confessarii persuasione directa; ideoque deficiente Confessarii directa persuasione fallitur invincibiliter poenitentis persuasio reflexa. Quid autem inde? Hoc eo magis evincit, quam necessarium sit, quod Confessarius propositam, et adaequatam regulam, toties quoties suppetit commodum eam servandi, sequatur, ne poenitentem decipiat, et in errorem impellat. Sit utique prudens quantum satis, et inculpabilis poenitens idiota, et rudis, qui licitam putat sententiam, quam sibi consulit Confessarii auctoritas, et ratio reflexa suadet. Regulam sequitur, quae unice praesto illi est propter invincibilem suam ignorantiam. Sed numquid eandem omnino regulam sequi impune poterit Confessarius, qui ex officio tenetur imbecillitati poenitentis succurrere, ideoque defectum directae rationis in poenitente debet ipse prudenti suae rationis usu

supplere? Caeterum si poenitens ipse prudenter dubitet de scientia, aut probitate Confessarii; item si dubitet prudenter de valore rationum, quas Confessarius sibi proponit; denique si ipsa ratio non scrupulose, sed prudenter illum admoneat, futiles esse aut falsas rationes sententiae a Confessario propositae, poenitens ipse ad sapientiorem Confessarium pro solutione sui dubii tenebitur accedere. Nemo igitur etiamsi idiota, et rudis debet amplecti sententiam, quam prudens ratio dissuadet, aut quam ratio non suadet saltem reflexe, si aliter fieri nequeat.

Atque hic ad confirmandam propositam regulam se praebet occasio facile explicandi, quomodo qui eam amplectitur tuto se determinat ad agendum. Est enim apud omnes inconcussum, quod ultimum dictamen practicum, ex quo Conscientia determinatur ad hic et nunc agendum, debet esse moraliter certum. Illud autem ejusmodi est. Moraliter certum est et ex ratione, et ex auctoritate, quod in rebus controversis, Deus, ut non peccem, nihil aliud a me requirit, nisi ut sequar sententiam, quam ratio suadet, et auctoritas firmat. Sed ad agendum hic et nunc invenio sententiam, quam ratio mihi suadet, et auctoritas firmat. Ergo licite possum hic

et nunc hanc actionem ponere, quia est rationi, et auctoritati consona, atque conformis. Ratio honestatis hujus dictaminis est quia, ut Conscientia formetur moraliter certa de honestate actionis, sufficit ut principia, seu antecedentes propositiones, ex quibus consequentia infertur, sint moraliter certae. Tunc enim est moraliter certa etiam consequentia, quae Conscientiam ultimo determinat ad agendum, ideoque ex dictamine moraliter certo homo in tali casu licite operatur. Hoc autem neque a probabilistis, neque a probabilioristis inficiari poterit, qui idem practicum resolutivum assignant ad licitam determinationem Conscientiae circa actionem hic et nunc ponendam. Opinio enim speculative probabilis, aut probabilior non est nisi opinio, et quaelibet opinio involuit semper formidinem aliquam de opposito, et quousque est opinio, non admittit moralem certitudinem. Et tamen probabilistae, et probabilioristae asserunt, practice, et licite amplecti posse in obscuris opinionem probabilem aut probabiliorem, quia moraliter apud eos certum est, licitum esse, aut istam, aut illam sequi, et super hoc principio apud eos moraliter certo statuunt ultimum dictamen practicum, et moraliter certum bene moratae, et

Christianae Conscientiae. *Antoine de Consc. c. 4. qu. 4.*

Quocirca contra regulam Benedicti XIV. locum non habet commune effatum. *In dubiis tutior pars est eligenda*. Ratio est, quia hic non intervenit dubium neque speculativum, neque practicum. Etenim distinguendum est apposite ad hoc argumentum cum communi, *Dubium, Opinio, et Certitudo moralis*. Dubium est suspensio assensus circa utramque partem contradictionis. Opinio est assensus intellectus ad unam partem contradictionis cum formidine partis oppositae. Certitudo moralis est assensus firmus intellectus ad unam partem absque ulla prudenti oppositae partis formidine. *P. Concina l. 2. appar. diss. 2. c. 2. S. Thom. 2. 2. qu. 1. art. 4. et quod lib. 8. art. 13. et 1. part. qu. 79. art. 9. ad 4. Navar. Summa cap. 27. num. 279. Sylvester verbo Dubium n. 1. et Opinio num. 1. Antoine de Conscient. cap. 2. et c. 4. qu. 4. ad object. 2. Azorius l. 2. c. 12. ad object. &c. Sanchez de Matrimon. lib. 2. disput. 41.* Ex quo pariter infertur, quod in terminis doctrinalibus rigorose differt *Dubium ab Incertitudine*; quamvis extra materias doctrinales promiscue usurpari soleant. Etenim id est incertum, quod non est certum, ideoque etiam Opinio conjungi-

tur cum Incertitudine, quia ubi est opinio, non adest certitudo. Multo magis cum incertitudine conjungitur dubium. Sed tamen ex dictis *Opinio* non conjungitur cum *Dubio*. Aliter sequeretur absurdum, quod assensus intellectus pro una parte contradictionis conjungeretur cum suspensione assensus pro eadem. Hoc autem attendendum est, ut evadere possimus ex ambagibus, quas inconsulto nonnulli Auctores nostrae inquisitioni offuderunt, quia haec vocabula non rite usurparunt. Jam vero perspicuum est, quod sequens praedictam regulam non haeret in dubio, sed format antecedenter judicium prudens pro una parte contradictionis, quamvis cum aliqua formidine oppositae partis; cum quo judicio practice, et proxime se deinde resolvit ad agendum, moraliter certus, quod Deus illi non imputabit ad peccatum, si agit illud, quod ratio suadet, et auctoritas firmat. Hinc ait Sylvester verbo *Opinio* num. 2. *Nec obstat, quod in dubiis tutior opinio est eligenda, de Spons. Juvenis, quia non est in dubio qui probabilibus rationibus flectitur ad unam partem*. Vide Azor. l. 2. c. 16. Et hoc, quod ait Sylvester, procedit, ut supra innuimus, in obscuris de jure, et non de facto, quia quando agitur in rebus de facto, quum factum non pendeat ab

ab hominum opinionibus, et opinio non possit facere infectum de facto, tunc non solum cum dubio speculativo practice agere nequimus, sed neque cum opinione speculative probabili aut probabiliori, ideoque ad tutam partem deflectendum est; ut v. g. in materia, et forma Sacramentorum, a quibus pendet eorum valor, quum opinio speculativa, non possit facere, ut sint valida, si aliquid de facto desit, aut mutetur de essentialibus. Sed hoc ipsum et ratio suadet, et auctoritas firmat, et consequenter cadit sub regula a nobis adducta. Vide Ferrari v. *Conscientia* n. 83. Hinc si quis Clericus sit certus de excommunicatione aut irregularitate contenta in jure pro aliquo casu, et prudenter dubitet, an de facto ipsam incurrerit, dicerem, quod debeat se gerere tamquam excommunicatum, aut dispensationem petere, etiamsi aliquas rationes ad se excusandum inveniat, et opinetur se non incurrisse, quia opinio non potest facere, ut non sit excommunicatus aut irregularis, si talis de facto est; et si de facto fuerit irregularis, aut excommunicatus, tunc se ipsum et proximum prodit in administratione Sacramentorum. Et haec sententia probatur etiam quamvis ex aliis rationibus a Thoma Sanchez *in Decal. lib.* 1. *c.* 10. *n.*

38. *et sequ.* Quod pariter extendo ad jurisdictionem dubiam, etiamsi quis probabiliter opinetur jurisdictione gaudere, quia jurisdictio est res de facto, quam quis vel habet, vel non habet; ideoque ibi intervenire debet moralis certitudo, quia non obstante probabili tua opinione, si de facto eam non habes, invalide absolvis. Neque assentior iis, qui dicunt, quod in tali casu supplet Ecclesia. Non enim sufficientem rationem invenio, cur dicatur supplere Ecclesia, quum error non est invincibilis, et deponi potest, sed non vult. Ac revera si diligenter perpendatur C. Illud *Dominus* de Cler. excom. C. *Juvenis* de Spons., et C. ad *Audientiam* de Homicid., in quibus asserta regula de tutiori parte eligenda assignatur, facile deprehendetur, quod in iis casibus agebatur de controversia obscura de facto circa excommunicationem, sponsalia, et irregularitatem. Pariter circa jurisdictionem etiam, ut vocant, probabilem, sive innixam probabili opinioni, extat Decretum S. Cong. Concilii; Ferrari V. *Jubilaeum* art. 2. num. 70., et Benedict. XIV. Inst. 84. num. 14. et seq., in quo declaratur, non solum illicita, sed etiam invalida exceptio Confessionum facta a quibusdam Regularibus tempore Jubilaei; qui in Patavina Dioecesi absque approbatio-

ne, et licentia Episcopi Confessiones Sacramentales publice exceperant inducti ad id, ut ipsi professi sunt, quod alias, et ab aliis approbati fuissent, ideoque possent valide, et licite tempore Jubilaei absque nova Ordinarii approbatione Confessiones audire in opinione probabili aliquorum Auctorum Regularium. Et revera si in omni probabili jurisdictionis opinione praesumatur Ecclesiam supplere, ampla nimis via sterneretur ad usurpandam jurisdictionem, quum relativa probabilitas, quae in praxi attenditur, aut quae ab Auctoribus refertur, non difficulter ab aliquibus inveniatur. Quod si interveniat error communis, et siquis titulus coloratus superaddatur, tunc in favorem poenitentium invincibiliter ignorantium, Ecclesiam supplere judicari poterit, non tamen in favorem probabilis opinionis Confessarii, qui a culpa non vacabit.

Addo etiam illud effatum: *in dubiis tutior pars est eligenda*: non solum in rebus de facto locum habere, verumtamen jus ipsum respicere, quando dubium est speculativum. Etenim ut inter caeteros ait Suarez *de legib. l.* 6. *c.* 8. *n.* 10., ex dubio speculativo nascitur practica dubitatio, an lex violetur, nec ne; cum practica vero dubitatione, sive cum conscientia practice dubia, certum est, operari

non licere. Quare illud effatum: *In dubiis tutior pars est eligenda*: verificatur saepissime, quia verificatur non solum in rebus de facto, sed etiam in rebus de jure, toties quoties dubium adest speculativum, quod resolvi non potest, et judicium remanet suspensum absque prudenti determinatione ad alterutram partem contradictionis. Sed cum invenero id, quod ratio suadet, et auctoritas firmat, et dubium deponendo judicium determinavero, illud effatum applicari non potest praeter casus supra adductos et alios similes. Aliter responderem: Nego suppositum; quia ego dubius non sum, quamvis non sim omnino certus.

Neque pariter locum habet contra hanc regulam illud aliud effatum, quod *lex dubia non obligat*. Videtur enim, quod lex etiam dubia servari debeat, si ratio mihi suadeat, et auctoritas firmet eam existere. Fallax est haec difficultas. Etenim si in dubio legis, et post accuratam examen mihi ratio suadeat legem existere, et hoc etiam auctoritas firmet, tunc lex non est mihi amplius dubia, sed jam cedit dubium opinioni, evanescit suspensio assensus, et subintrat assensus intellectus pro existentia legis, non cum dubio, sed solum cum formidine de non existentia,

ideoque lex non est mihi amplius dubia, seu non sum dubius de lege, sed solum restat aliqua suspicio, quod possit non existere. Igitur semper prae oculis habenda est in hac controversia illa distinctio, *dubii, opinionis, et moralis certitudinis*, quam ex communi Doctorum auctoritate supra adduxi, quoniam ex inadvertentia ad hanc distinctionem ortae sunt plures apparentes difficultates, quae diversas scholas exagitarunt. Admitto quidem, quod lex dubia non obligat, immo non est lex proprie et rigorose ea, de cujus existentia, post diligentem inquisitionem, prudenter dubitatur, maxime si dubium sit negativum. Est enim de essentia legis, ut sit sufficienter proposita, promulgata, aut intimata. *S. Thom.* 1. 2. *quaest.* 90. *art.* 4. *Suarez de legib. l.* 1. *c.* 11. *Benedict. XIV. de Synod. Dioeces. l.* 6. *c.* 2. *num.* 3. Non est autem hujusmodi illa lex, de cujus existentia post diligens examen adhuc prudenter dubitatur, quia si sufficienter proposita, et promulgata fuisset, prudens dubium non relinqueret. Dices: Erit igitur moraliter certa, si non est dubia. Respondeo: Nonne vides, quod inter dubium, et certitudinem nihil interiicis, cum tamen inter dubium, et certitudinem possit intervenire opinio, quae si talis sit, ut pru-

denter suadeat meam rationem de legis existentia, et sit a gravibus Doctoribus plane confirmata, imprudenter agerem, si ejus observantiam respuerem, unice quia restat aliqua non imprudens formido, aut suspicio de ejus non existentia, quae non facit, ut sim dubius, sed facit tantum, ut non sim moraliter certus. Dubia quidem mihi erit lex, aut lex non erit, quum post accuratum examen pro ejus existentia, aut non existentia, non invenero sufficientem rationem, et auctoritatem, quae suadeat ejus existentiam, ita ut cogar suspendere assensum circa utramque partem contradictionis. Sed si efformavero judicium determinatum, et firmum de ejus existentia, jam datus est assensus uni parti, aut cum certitudine, aut cum aliqua formidine, et hujusmodi assensus, quantum recedit a dubio, tantum accedit ad certitudinem.

Et certe nemo forte inter probatos viros invenietur, qui, si v. g. dubitetur, an hodie indictum sit jejunium, et post adhibitam diligentiam suasus fuerit pro parte affirmativa, judicet tamen, posse impune non jejunare, quia totaliter certus non est de existentia praecepti, et aliqua non imprudens formido adhuc restat in contrarium, quia v.g. contra decem testes fide dignos stantes pro

affirmativa, duo aut tres pariter fide digni stant pro negativa. Si quis inquam in hoc tam dispari testium concursu e dubietatis finibus excedendum judicet, et assensum determinet pro affirmativa, non putabit, ut mihi videtur, prudenter posse negativam in praxi amplecti, quia aliqua auctoritas etiam respectiva adhuc pro negativa superest in illa duorum, aut trium testium depositione, quae facit, ut affirmativa omnimodam certitudinem praeseferre nequeat. Neque dicas, ubi non est scientia certa, adesse ignorantiam, et ignorantiam excusare, si sit invincibilis, et in casu. Quia falsum est etiam apud phylosophos, quod sola scientia adversetur ignorantiae. Etenim ignorantiae proprie opponitur cognitio; et triplex est cognitionis species, scilicet *scientia*, *opinio*, et *fides*. Storchenau *Logic. part.* 3. §. 185. Ubi igitur habetur opinio, adest cognitio, et excluditur ignorantia. Et si ratio et auctoritas me suadeat de existentia legis, tunc praesumptio stat pro legis existentia, et ejus sufficienti promulgatione, quod sufficit ad obligationem inducendam, ubi certitudo non adest. Neque valet in hoc casu, et in talibus circumstantiis possessio libertatis contra legem. Ipsa enim possessio infirmatur, et gradatim cedit, statim ac possessor, quam-

vis adhuc dubius, propendet tamen suo judicio in partem sibi adversam, ita ut asserat Thomas Sanchez de Matrimon. lib.2. disp.41. num. 19. *Possidens bona fide, si praemissa debita diligentia dubius maneat, magis tamen propendat in eam partem, quod res aliena sit, tenetur partem restituere, pro ratione majoris illius propensionis; quia tunc non est par causa*. Unde ulterius, si possessor non jam dubitet, nec certus omnino sit, sed tamen cum magna praeponderantia opinetur contra suam possessionem, seu jus, et in favorem obligationis, seu legis, eum teneri obligationi decidit idem Thomas Sanchez ibidem num. 34. *Infertur, si quis non dubitet, sed opinetur, se vovisse, ita ut magna sit determinatio judicii ad hoc, teneri Voto; si vero fuerit mediocris, dividendam esse rem promissam: sicut de possidente rem, quam opinatur, aut magis propendet esse alienam, diximus hac disp. num.*19. *teneri dividere pro dubii qualitate: quia major judicii determinatio etiam cum formidine sufficienter compensat excessum possessionis, quam alter habet*.

At pariter e contra si ad probandam inexistentiam legis exigeretur semper moralis certitudo contra libertatem, nec libertati pro suo tuendo jure sufficeret dubium saltem ne-

gativum, aut prudens opinio tum ratione, tum auctoritate plane confirmata de legis inexistentia, non solum arcta, sed fere impervia fieret semita ad salutem, quia docti auctores non desunt nimis rigidius, et severius quam oportet pro legis jure praesumentes. Media igitur via incedere tutius est, quae nec ad laxitatem deflectat, nec sit ad rigorem proclivis, ut nempe, quum non adest certitudo moralis aut pro lege, aut pro libertate, quisquis eam opinionem sequatur, quam ratio suadet, et auctoritas firmat. Si quod autem stricte et proprie occurrat dubium, et maxime si fuerit dubium negativum, de existentia legis, ita ut judicium aut certum, aut opinativum pro illa, aut contra illam efformari nequeat, jam moraliter certum est, eam non existere, aut ejus observantiam a nobis non exigi, ideoque in eo casu non habet locum opinio, de cujus electionis regula nunç unice disceptamus. Vide Ligorium dissert. *de usu moderato Opinionis Probabilis* §. 1.

Notandum autem judico, quod illud effatum: *lex dubia non obligat*; quod, ut vidimus, suám vim summopere exerit, quum agitur, et controvertitur de existentia legis humanae, non est passim extendendum ad omnes Legis controversias. Etenim circa Legem

distinguendum judico primo ejus existentiam; deinde ejus extensionem, exceptionem, aut restrictionem; tertio ipsius mutationem, cessationem, aut abrogationem; denique legis ad singulos particulares casus applicationem. Et quidem circa primum, jam vidimus, quod lex, quae est dubia, seu de cujus existentia prudenter dubitatur, non obligat, quia lex dubia proprie et rigorose non est lex; unde plures Doctores illud effatum aequipollentibus vocabulis referunt, asserentes: *Lex dubia non est lex*. Et hoc effatum omnimodum valorem retinet, praesertim quando dubium de existentia legis est dubium negativum, quia nulla ratio suadet, quum ex neutra parte positivae rationes adsunt, ut libertas suo jure spolietur. Vide Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 20. *num.* 4. At vero quum dubium insurgit circa legem quoad secundam partem, scilicet circa extensionem, exceptionem, aut restrictionem ipsius legis, tunc notandum est primo, non obvios, immo raros esse casus, in quibus adhibendo regulas a Doctoribus traditas maxime circa legum interpretationem, et quae optime et succinctim numerantur inter caeteros a Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 18. *et sequ.*, puto inquam raros esse casus, in quibus post diligens examen dubium speculativum depo-

nere nequeam, et invenire non valeam resolutionem, quam mihi ratio suadeat, et quam auctoritas confirmet. Quod si nihilominus dubius adhuc persistam, tunc ad regulas juris recurrere debemus, v. g. *ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus*; ideoque non habet tunc locum illud effatum: *Lex dubia non obligat: lex dubia non est lex*; quia lex supponitur certa, ideoque est vere lex, nec dubitatur proprie de lege, sed de legis extensione, vel restrictione. Unde ait S.Thomas 1. 2. qu. 96. art. 6. ad 2. *Si enim dubium sit, debet subditus vel secundum verba legis agere, vel superiorem consulere.*

Similiter si agatur, quod tertio loco assignavi, de legis cessatione, aut abrogatione, dubium in eo casu nihil libertati suffragari dicendum est, sed standum pro lege, quae in possessione est contra libertatem. In hoc conveniunt Doctores omnes. Sit pro caeteris idem Layman ubi supra, scilicet *lib. 1. tract. 4. cap.* 20. *num.* 5. ubi ait: *Si constet de lege lata, dubium autem sit, utrum abrogata, vel ob circumstantias ejus obligatio cesset, tunc tutior pars eligenda est, et secundum legem operandum. Ita S.Thom.* 1. 2. *qu.* 96. *ad* 2. *et* 2. 2. *qu.* 120. *art.* 1. *ad* 2. *Cajet. cit. art.* 6., *et Medina ibid. prop.* 3. *Joan. Medin. Cod. de jejun.*

quaest. de his, qui jejunare tenentur, ubi docent, si aliquis dubitet, utrum obligatione jejunii ob aliquam causam liberatus sit, superioris judicio acquiescendum: Si autem Superiorem adire nolit, vel non possit, legem servandam esse. Ratio est. Cum enim semel constet legem positam fuisse, praesumptio ac veluti possessio stat pro lege: ut si quis contra eam excipere velit, probandae exceptionis necessitas ipsi incumbat. Similiter se res habet in obligationibus ex contractu, vel delicto. Si enim certus sum, debitorem me fuisse, dubitem vero de causa excusante a solutione, nihilominus solvere cogor, teste Sanchez c. 10. *num.* 340. Et hanc conclusionem ex Layman retuli, qui Probabilismi assecla est, ut clare pateat, etiam Probabilistas non universim uti illo effato: *Lex dubia non obligat*; illud applicando ad omnes legis circumstantias; immo etiam Probabilistas pro obligatione stare in iis casibus, in quibus ratio et auctoritas id declaravit, quamvis agatur interdum non de simplici facto, sed de jure, et de jure quidem non solum divino, sed etiam ecclesiastico.

Sed quid dicemus circa cessationem aut abrogationem legis, si de lege data certo constet, ratio autem, et auctoritas suadeat, absque tamen morali certitudine, quod abroga-

ta sit, aut quod ejus obligatio cessaverit? Num hoc judicium sufficiet, ut liberi simus a lege? Respondeo, facile esse confundere cessationem, et abrogationem legis cum ejusdem legis exceptione: quae duo tamen valde distant. Etenim mutari, cessare, aut abrogari legem proprie dicitur, quum pro communitate vel totaliter, vel partialiter cessat, aut abrogatur in perpetuum lex ita, ut lex amplius non existat. Lex enim, ut definivit S. Thomas 1. 2. *qu.* 90. praesertim *art.* 4., *est recta agendorum ratio a publica potestate Communitati denuntiata, cum voluntate eam perpetuo obligandi*; ideoque durat, quamdiu legitima auctoritate tollitur, aut Principis posterior constitutio ei derogat, vel quando cessat universim totalis causa legis. *Layman lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 21. *Suarez de legibus lib.* 6. *cap.* 9. *pag.* 346. *et seq. edit. Venet.* 1740. *et cap.* 27. *pag.* 397. *et sequ.* Quare non proprie accipiendum est, quod supra ex Layman retuli, de cessatione v. g. legis jejunii pro aliquo particulari, quae potius dispensatio, aut exceptio appellari deberet. Circa autem hoc dicendum est, videri, non sufficere, quod mihi ratio suadeat etiam cum praesidio gravis auctoritatis, Legem cessavisse, aut abrogatam esse, si adhuc prudens formido existat

in oppositum, et certo non constet de ejus cessatione, et abrogatione, quia judicium meum privatum non valet in negotio, quod respicit communitatem universam, nec judicium meum debet attendi, quum lex possidet contra communitatem; ideoque requiri aut abrogationis publicam promulgationem, aut judicium omnino commune et certum, quod abrogata lex fuerit, v. g. per contrariam consuetudinem. *Vide Suarez de legib. l.* 6. *cap.* 27. *num.* 18. *et l.* 7. *cap.* 18. Et hoc maxime dico, quia vix casus fingi potest, in quo cum morali certitudine deprehendi nequeat totalis cessatio, aut abrogatio legis, si haec abrogatio aut cessatio revera adsit. Nihilominus, si constare omnino non possit, non negarem asseveranter, quod idem dici possit de cessatione legis, ac de ejus existentia supra diximus. Hoc autem solummodo posset habere locum in lege civili vel ecclesiastica; neque enim cessat unquam, aut abrogatur proprie lex naturalis aut divina. Loquendo igitur de lege humana, videtur, quod quando legislator, aut superior adiri, aut aliunde veritas cum certitudine resciri nequit, superior ipse et legislator invitus esse non debeat, si quis admodum gravi ratione, et auctoritate adductus et obfirmatus

dictamen sibi efformet de legis abrogatione, aut cessatione. Quod tamen assero propter rationes in contrarium adductas, non decidendo, sed opinando, vel dubitando.

Veruntamen, ut ajebam, confundi non debet legis abrogatio, aut cessatio, cum ejus exceptione, aut restrictione. Sunt enim valde diversa. Quia per abrogationem aut cessationem lex totaliter, aut partialiter, et in perpetuum pro tota communitate tollitur; et si non tollatur generaliter, et in perpetuum, tunc dicitur obligationem legis suspendi, non autem cessare, aut extingui, ut optime notavit Suarez *de legib. lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 18. Quum autem agitur de exceptione, aut restrictione legis pro aliquo particulari casu, lex equidem durat, sed quaeritur tantum, an legislator extenderit suam voluntatem etiam ad illum particularem casum et circumstantiam, an vero illum excipere voluerit. In quibus casibus superior ipse consulendus est, ut veritas cum certitudine deprehendatur. Quod si hoc fieri nequeat, aut sicuti accidere solet, nolint superiores in singulis casibus suam mentem, aut interpretationem proferre, quia foret res pluribus difficultatibus obnoxia, tunc ut supra diximus, ad regulas in jure constitutas pro recta legum in-

terpretatione confugiendum est. Quaeratur v. g. an sexagenarii ad ecclesiasticum jejunium teneantur, quod idem est, ac quaerere, an a lege jejunii dispensentur, et excipiantur. Et quoniam lex ecclesiastica jejunii sive dicatur scripta, sive tradita, hanc aetatem expresse non excipit, sed generaliter loquitur, ex variis locis quaerenda est solutio hujus quaesiti, v. g. an in jure senes a quibusdam legibus propter illius aetatis imbecillitatem semper excepti intelligantur, et an sexagenarii sint vere senes; an consuetudo, quae est legis interpres, ut ait S. Thomas 1. 2. *qu.* 97. *art.* 3., sexagenariis faveat, et accedat doctrinalis interpretatio plurium Theologorum, qui sint omni exceptione majores, absque oppositione ecclesiasticae auctoritatis, quia ut ait ibidem S. Thomas *ad* 3. *ipsa consuetudo in multitudine praevalens obtinet vim legis, in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere: ex hoc enim ipso videntur approbare, quod consuetudo introduxit.* Hoc autem eo majorem vim habet, quando consuetudini accedit etiam probatorum theologorum sententia. Neque hoc dico decidendo hujusmodi quaesitum, sed tantum indicando, ex quibus fontibus hauriri possit resolutio, scilicet ex relatis, aut similibus, quia

non videtur habere locum in tali casu illud effatum: *lex generaliter loquitur*; *lex possidet contra libertatem*; ergo debeo esse certus de exceptione legis quoad sexagenarios, quia in dubio melior est conditio possidentis. *Lex generaliter loquitur*; concedo; sed ideo quaeritur per regulas interpretationis et juris, an generalibus verbis correspondeat in hoc casu generalis voluntas legislatoris, *quia aequum et bonum opponitur juri stricto verborum proprietatì tenaciter adhaerenti*; *et scire leges non est earum verba tenere*, *sed vim ac potestatem*; praeterea, *etsi maxime verba legis hunc habeant intellectum*, *tamen mens legislatoris interdum aliud vult*. Vide Layman l. 1. tract.4. c. 18. n. 4. et c. 19. *Lex possidet contra libertatem*: distinguo; si consuetudo optima legum interpretatrix sexagenarios in lege includit, concedo; secus nego; et ideo inquiritur, quomodo consuetudo, et doctrinalis auctoritas interpretetur legem, et cui possessionem adjudicaverit, vel an possessionis bonam fidem interruperit, et similia. *Debeo esse certus de exceptione legis quoad sexagenarios*: absolute hoc nego; sed sufficit, ubi lex clare non possideat pro hac parte, quod ratio auctoritati conjuncta mihi contrarium prudenter suadeat. *In dubio melior est conditio*

possidentis : concedo ; sed hoc non habet locum , quando per suasionem rationis et auctoritatis e dubii finibus evasi . Layman *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 20. *num.* 6. Si quis re diligenter considerata non omnino ambigat , sed probabilius arbitretur , quamvis non sine formidine oppositi , se ob aliquam causam a legis observatione excusatum , adeoque mentem Legislatoris non fuisse , talem casum particularem comprehendere ; tunc locum est epicheiae , ut practice judicari possit , se legis obligatione tali casu absolutum esse , sicut docet *S. Anton. p.* 1. *tom.* 3. *c.*10. §. 10. *pro cujus enodat. Gutier. l.* 1. *canon.* 99 . *c.* 31 . *num.*41. *Medina l. c. prop.* 4. *Corduba in quaestionar. lib.* 3. *qu.* 13. Propterea quod in moralibus , ubi certitudo haberi non potest , sufficit sequi judicium probabile . Huc usque Layman , ubi adverto , me non intellexisse , cur in responsione loquens de probabiliori , postremo effatum illud extenderit etiam ad probabile . Et si in interpretatione legum semper tuta sententia amplectenda esset , quoties certitudo in contrarium inveniri nequit , non liceret sequi opinionem inter probabiles probabilissimam contra decisionem Alexandri VIII.

Optime in hoc particulari Franciscus Sua-

rez *de Legib. lib.6. cap.8. num.* 6. ubi ait: Sententiam Cajetani et Soti censeo *esse practice certam quoad hanc partem, ut quando non potest conveniri superior, liceat ex probabili sententia, aut judicio epikiia uti, sive casus excipi judicetur a potestate legislatoris, sive a sola voluntate; ratio est, quia judicium probabile in rebus moralibus sufficit ad prudenter operandum, praesertim ubi regula certa applicari non potest, ut ex materia de conscientia suppono. Item quia alias modus operandi est ultra humanam conditionem, et prudentiam; praesertim in rebus agendis. Item quia imponeretur gravissimum onus hominibus, si numquam liceret eis uti epikiia ex judicio probabili, quando non patet aditus ad superiorem. Quis enim auderet unquam excusari a lege positiva propter neccessitatem occurrentem, cum nemo sit tam certus de sufficientia causae, quin dubitet, vel formidet. Item in his casibus non possent simplices sequi consilium hominis docti, et pii, nec ipse posset tale consilium dare, quia numquam fere ducitur nisi judicio probabili. Constat autem contrarium esse in usu totius Ecclesiae, et approbari ab omnibus Doctoribus.* Huc usque Suarez. Et quod ille de probabili judicio affirmat, ego transfero ad illud judicium, quod ratio suadet, et auctoritas firmat.

Quare non est applicandum id, quod dicitur de dubio, ad id, quod resolvitur cum judicio firmo et prudenti, et cum vera solutione dubii, ut saepius notavimus. Unde ait Suarez *de legibus lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 13. Nullo modo potest subditus in casu dubio de obligatione agere contra legem, quia manifeste se exponeret periculo peccandi transgrediendo legem, de qua judicium probabile formare non potest, quod cessaverit obligare. Nec est simile, quando dubitatur de tota lege, an sit lata, nec ne, quia tunc lex nondum possidet, sicut in simili dixi de Voto lib. 4. cap. 5. et 6. Nulla autem alia potest esse ratio sufficiens ad non servandam legem, nisi etiam sufficiens sit ad probabiliter judicandum, legislatorem in tali necessitate, vel non potuisse, vel noluisse obligare. Haec quamvis diverso ordine Franciscus Suarez. Vide etiam Sanchez *de Matrimon.* lib. 2. cap. 41. num. 37.

Restat, ut aliqua dicamus de applicatione legis ad casus particulares. In quo notavi, nonnullos esse, qui legis applicationem cum interpretatione legis, exceptione, et restrictione confundunt. Et tamen disparitas est, quia interpretatio, exceptio, restrictio legis, respicit quodammodo unice, et intrinsecus

ipsam legem, et versatur principaliter circa verba, et significationem legis, et legislatoris voluntatem. Sed applicatio legis supponit non solum legem latam, sed etiam legem claram et non ambiguam, et vim legis transfert ad aliquem casum particularem, cujus resolutio non evadit incerta propter dubium de sensu legis, sed propter dubium circumstantiarum illius facti particularis. Est v. g. lex manifestissima, quod qui efficaciter cooperatur alicui in damnificatione injusta proximi, tenetur ad restitutionem. Sed quaeritur, an ista lex applicari possit in casu, in quo executor etiam sine tuo consilio, consensu, mandato, laude, vel ministerio, aeque bene et eodem modo damnum erat illaturus, et quamvis nulla alia similis causa esset superventura. Lessius *lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 2. *num.* 4. Vbi vides, quod omnis inquisitio versari debet in cognoscendo, et deffiniendo, an in hujusmodi circumstantiis tua cooperatio per consilium, consensum, mandatum, vel laudem, fuerit causa efficax, vel inefficax damni injuste proximo illati. Haec autem resolutio non ambigua est propter sensum legis, sed propter dubium circa efficaciam cooperationis in tali casu, ex quo oritur quaestio, an lex illa manifesta applicari possit ad

hunc casum particularem. Saepissime autem occurrit in moralibus haec dubitatio de applicatione legis per se manifestae explicata in sensu exposito; In quibus casibus plura effata, quae feruntur de legibus, et earum interpretatione, non habent proprie locum ad resolvendam quaestionem, nisi forte reductive et remote, sed aliunde ex aliis locis et principiis haurienda est proxime et immediate vera resolutio.

Ex his autem omnibus simul sumptis, et consideratis inferendum judico, unam aut alteram regulam ex principiis juris desumptam non posse esse universalem, aut fere universalem in moralibus; immo si quis talem opinionem arriperet, saepe fallaciter, aut inepte ratiocinari contingeret, quum ad regulam ad se propositam omnium aut fere omnium casuum solutionem detorquere contenderet. Adde, quod non ex uno, sed ex pluribus principiis saepissime desumenda est solutio moralium disputationum, et insuper ex aliis remote, ex aliis proxime; unde nulla regula, ex paucis juris effatis coagmentata potest fieri universalis magistra moralium resolutionum. Quare in rebus dubiis, et ambiguis tandem deveniendum est ad illam regulam, quae omnia principia, et effata, et

jura complectitur, et quae sola etiam ex consensu omnis anteactae aetatis consecrata est, ut post diligens examen id sequamur, quod ratio suadet, et auctoritas firmat.

Aliam difficultatem pariter praeoccupandam existimo. Dicet enim aliquis, quod opinio, quam ratio suadet, et auctoritas firmat, est idem ac opinio, quae vocatur probabilissima, et cui opponitur opinio tenuiter probabilis. Nemo autem negat, quod opinio probabilissima sequenda sit, ubi non adest certitudo, quia opinio tenuiter probabilis, quae illi in adverso stat, in praxi ab omni prudenti homine est respuenda. Quare concludet; haec regula quidem optima est; sed praeterquam quod etiam Probabilistae, et Probabilioristae eam jam in praxi sequuntur, non semper tamen adesse potest in rebus controversis, unde rursus ad Probabilismum vel Probabiliorismum necessario reiicimur. Respondeo omnino gratis hoc asseri, et me consulto voluisse ab istis vocabulis recedere, quae maximam in praxi difficultatem afferunt, quae diversimode a pluribus explicantur, et quae propter multiplices gradus, quibus unam ab alia opinione separant, magnum negotium etiam viro probo, discreto, et docto facessunt. Igitur, quum Bened. XIV. pro Confessariis illam

regulam proposuit, simpliciter eam enunciavit, et ab ulteriori explicatione abstinuit. Immo advertendum est, quod quum in Constitutione de Usuris dixisset, quod Confessarii *eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent*, in posteriori de Jubilaeo illud *plane* omisit, et dixit: in eam descendant sententiam, quam ratio suadet, et auctoritas firmat. Nec ideo certe omisit, quia quaerenda non sit etiam omnimoda confirmatio rationis, et auctoritatis; sed praeterquam quod omnimoda semper inveniri nequit, sensit forte, aut audivit sapientissimus Pontifex, ex illa particula *Plane* jam controversias inter Probabilistas, et Probabilioristas excitari; quas quum potius dirimere, quam renovare in suis Constitutionibus intenderet, judico, quod consulto in Constitutione de Jubilaeo non solum illud *plane* omiserit, verum etiam addiderit, non aliter docuisse in Constit. de Usuris, ubi declaraverat suscipiendas eas esse partes, *quas tum ratione, tum auctoritate Plane confirmatas intelligent*. Et quoniam posterior priori in hac parte pro sensu a Summo Pontifice intento anteferenda est, quia posterior est prioris declaratio, ideo hanc mihi explicandam proposui.

Quibus praehabitis considero summam ipsius Pontificis cum sapientia prudentiam. Primo, quia iis usus est vocabulis, quorum significationem ex communi usu, et ex intimo sensu quasi intuitive quisque percipere valeat; quae si quis ulterius explicare et declarare velit, potius obscuritatem quam perspicuitatem inducat, ut accidit fere semper in principiis per se et cuique cognitis. Enimvero quis non sentit, et experitur quid sit, suaderi ratione, et auctoritate? ubi subito quisque animadvertit, se quamdam consequi tranquillitatem et quietem intellectus et judicii, ut jam cessare possit ab ulteriori perquisitione, quamvis non veram certitudinem assequutus sit, quia videt eam assequi non potuisse. Restat igitur illi aliqua vel prudens, vel non imprudens, vel tenuis formido de veritate oppositae Sententiae? Erit fortasse modo haec, modo illa; sed quidquid supersit, certus sibi est in talibus circumstantiis, suo judicio se prudenter acquiescere, immo prudentissime, quia suadetur pro una parte, et non suadetur pro alia. Hoc autem est omne id, quod deficiente certitudine prudens homo assequi teneatur. Secundo adverto, quod ad hoc judicium Summus Pontifex adniti Confessarium admonet, ut a

dubio evadat. Ait enim: *Sat erit Confessarios monuisse, ut in re dubia propriae opinioni non innitantur* &c. Non ponit igitur aliquid intermedium inter dubium, et suasionem, non jam ex eo quod gradus intermedii non existant, sed fortasse quia optime novit Summus Pontifex, quod si in rebus moralibus omnes illi intermedii gradus distingui, mensurari, et attendi debeant, ut quisquis tuta conscientia deliberet, jam finis non erit speculativis disputationibus, et practicae incertitudini, et perplexitati, quum ii gradus non consistant in indivisibili, et supremum infimi attingat infimum supremi, et in limitibus fere unus ab altero discerni nequeat. Contra vero si in moralibus distinguatur solummodo *Dubium, Opinio suasiva, et Certitudo*, quisquis probus, mediocriter doctus, et discretus Confessarius eorum fines fere absque ulla ambiguitate dignoscet, et facile sentiet, quid consilii suo Poenitenti in ambiguis rebus praebere possit, nec fluctuabit inter vortices Probabilis, Probabiliorismi, et Probabilissimi. Ratio est, quia in rebus controversis primo certitudinem assequi conabitur; deinde si illam non possit, prudentem suasionem ex ratione et auctoritate; quod si neque hanc inveniat, judicium suspendet, et controversiam ut du-

biam adhuc suspiciet; ideoque tunc juxta regulas a Doctoribus communiter traditas de modo agendi in rebus dubiis, et in diversis circumstantiis, pro determinanda obligatione sui Poenitentis judicabit.

Et revera si Dubii definitionem perpendamus, videbimus, quod qui a dubio totaliter et deliberate recedit, ad judicium ex suasione pro aliqua parte se determinat. Audiamus Sylvestrum v. *Dubium* num. 1. *Dubium secundum Isidorum in libro Etymol. est motus indifferens in utraque parte contradictionis. Vel dic secundum Phylosophum, et mentem S.Thom. in* 3. *dist.* 17. *quod est contrariarum rationum aequalitas, unde proprie homo dubitat de aliquo, vel circa aliquod, quando habet rationes ad utramque partem aequaliter, aut quasi aequaliter moventes, ita quod non inclinatur ad hoc magis quam ad illud Notabiliter*. Vides igitur, quod aliquis excessus rationum pro una parte contra aliam, nisi sit notabilis, non aufert Dubium. Quum autem fuerit notabilis, jam praeponderat gravitas pro una parte, jam determinamur ad unum, et in eo sistimus. Si vero in eo requies non inveniatur, jam retrogredimur, jam rursus ad Dubium revocamur. Hoc est, quod in nobis accidere cognoscimus, si nos ipsos atten-

damus. Quare nihil rectius, securius, et simplicius in agendo moraliter, quam hos tres gradus tantummodo prae oculis habere scilicet *dubii, opinionis suasivae, et certitudinis*. Contra vero si probabilismum, probabiliorismum, leviter probabile, probabilissimum definire velimus, omnia incerta, implexa, fluctuantia.

Sed numquam requies. Ecce mihi videtur obviam fieri aliquis Probabiliorista, qui dicat: Regula Benedicti XIV. est regula puri Probabiliorismi. Sit utique, non abnuo; sed cur? Equidem adest ratio omnino certa, et perspicua. Etenim Opinio probabilior est ea, quae pro se habet motiva graviora rationis, et auctoritatis, quam opposita, quae sit tantum probabilis. Sed ea opinio, quae in concursu alterius habet pro se graviora motiva rationis, et auctoritatis, est ea, quam unice hic, et nunc ratio suadet et auctoritas firmat. Ergo &c. Probo minorem. Opinio probabilis non potest saltem prudenter judicari vera in concursu probabilioris oppositae, quum adsit gravius fundamentum judicandi eam esse falsam; nam gravitas motivi vincitur per gravitatem majorem alterius oppositi, et cessat esse grave, quum superatur, et eliditur per majus motivum oppositum. *An-*

toine c. 4. qu. 2. ad object. 2. & 3. Ergo si opinio probabilis concurrat in conflictu cum probabiliori, tunc ratio cessat illam suadere, et unice probabiliorem suadet. Pariter auctoritas probabili opinioni nihil in eo casu suffragatur, quia contra eam praevalet auctoritas, quae rationi meo judicio consona est: ideoque opinio probabilior fit hujusmodi, ut eam unice hic et nunc ratio suadeat, et auctoritas firmet. Et revera quum opinio sit assensus intellectus, quamvis cum aliqua formidine, ad unam partem contradictionis, vix intelligi potest, quomodo in uno intellectu consistant eodem tempore duae contradictoriae opiniones, ideoque intellectus praestet eodem tempore assensum ad utramque partem contradictionis, et judicet quamvis cum inaequali formidine, utramque esse veram, quum certo sciat, quod una necessario debet esse falsa. Judico opinative v. g. cum Filliuccio, et Azorio, et aliis multis, opus servile esse pingere diebus festis; et judico pariter opinative, et eodem tempore cum Layman, et aliis, quod pingere in diebus festis non sit opus servile. Quomodo haec contradictio judicii consistere potest in uno intellectu, et eodem tempore? Videtur absurdum,et impossibile. *Fagnan. t.1.c. Ne innitaris*

num. 122. *et seq. Castra Palao part.* 1. *dis.* 2. §. 2. *num.* 4. *de Lugo disp.* 10. *de Fide sect.* 1. *n.* 14. *Layman. l.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. §. 2. *num.* 5. Dic potius, quod intueberis rationes hinc inde graves; et vicissim alias aliis graviores, haerebis, fluctuabis, dubitabis anceps inter utramque, sed non opinaberis pro utraque, scilicet non facies judicium pro veritate utriusque cum formidine de opposito. Dic, quod ex ipso tuo dubio, et fluctuatione intelliges, et cognosces, quomodo utraque contradictoria sententia potuit a contradicentibus inter se Doctoribus respective judicari vera. Dic, quod utraque tibi videtur habere suam verisimilitudinem. Quum haec dixeris, nondum de alterutra tuum opinativum judicium protulisti, nondum alterutri assensum tuum praebuisti. Sed quum denique ratione et auctoritate suasus pro unius sententiae veritate, quamvis cum aliqua formidine, judicasti, quomodo pro contradictoriae sententiae veritate tu ipse, eodem tempore, pariter opinative judicabis? Necesse est igitur, ut collatis rationibus, et auctoritatibus, unam admittam tamquam veram, et alteram respuam tamquam falsam, quamvis de respectiva veritate, aut falsitate non possim omnem formidinem deponere; aut si non hoc,

dubius haerebo et anceps, utrum liceat nec ne. Esto, quod possim abstracte judicare, etiam oppositam opinionem posse pro se habere graves, et graviores rationes, quae mihi non innotescunt. Sed hic et nunc non ex possibili judicandum, et deliberandum est, sed ex eo, quod, omnibus serio expensis, hic et nunc mihi ratio suadet; alias temere hic et nunc judicarem, et deliberarem, si repulsa praesenti suasione rationis, ad futuram possibilem, et incertam suasionem rationis confugerem, ut in praesenti judicio, et deliberatione resolverem. Esto etiam, quod devictus intrinsecis rationibus alicujus opinionis, ita ut pro ea, quamvis cum aliqua formidine, meum judicium inflectam, esto inquam, quod possim eodem tempore judicare, Doctores, qui oppositam sententiam amplexi sunt, habuisse et ipsos suas respective graves intrinsecas rationes, a quibus ipsi de veritate pro opposita sententia suasi sint. Concedo, quod haec duo judicia in uno intellectu possint eodem tempore consistere. Sed cur? Quia unum est directum, et alterum reflexum; unum directum de intrinseca gravitate rationum, quae me suadent pro una sententia, et pro ipsius intrinseca veritate; alterum reflexum, et extrinsecum

de gravitate rationum, a quibus suppono, seu praesumo, suasos fuisse contrarios Doctores pro adjudicanda veritate in favorem suae sententiae; unum est judicium de gravitate rationum intrinseca, et in quantum opinor absoluta, et de veritate mihi cognita; alterum de gravitate rationum extrinseca, et relativa, et de veritate cognita alteri. Equidem haec duo judicia simul stare possunt, quum habeant pro objecto duas diversas, sed non contradictorias propositiones. Sed uno et eodem tempore suaderi ex intrinsecis rationibus, quod pingere diebus festis est licitum, et illicitum, ac uno, et eodem tempore judicare pro veritate utriusque partis hujus contradictionis, quamvis id fiat cum majori, et minori relativa formidine, hoc inquam videtur absolute contradictorium, absurdum, et impossibile; esset enim judicando assentiri uno, et eodem tempore duabus non diversis, sed contradictoriis veritatibus.

Ita Probabiliorista; cui tamen Probabilista. Impossibile quidem est, si uni parti quaestionis assentiaris, et opinative eam habeas pro vera, ut nihilominus alteram contradicentem judices ut veram. Immo si de veritate opinative judicare velis, et alicui parti assentiri, necesse est, ut probabiliori as-

sentiaris, aliter stulte judicares probabilem esse veram, et probabiliorem esse falsam. *Layman loc. cit. l.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. Sed potes tamen judicare, utramque esse probabilem, aut unam altera probabiliorem, seu unam esse verisimilem, et alteram magis verisimilem, suspendendo judicium, et assensum pro alterutrius veritate. At huic evasioni respondebunt Probabilioristae, quod negligenter se gereret Confessarius, si judicium, et assensum de veritate cohiberet, quam saltem opinative assequi potest, et limitaret se ad judicandum abstracte, et speculative de verisimilitudine, quam utraque pars apud alios, aut apud se habere potest; ideoque haec evasio pro praxi prudenti non suffragatur. Quum enim in omnibus quaerere debeas veritatem, cur in verisimilitudine gressum sistis? Et si veritatem cum morali certitudine assequi non potes, eam debes saltem opinative inquirere et arripere, et parti, quae illi magis accedit, adhaerere. Cui Probabilista respondebit; quod judicium opinativum de veritate est idem, ac judicium absolutum de verisimilitudine. Etenim opinativum judicium de veritate, quoniam conjungitur formidini de falsitate, resolvitur in judicium de re, quae potest esse falsa, sed videtur similis esse vero,

ideoque rigorose judicium de veritate debet esse conjunctum certitudini. Unde fit, ut Confessarius, qui non potest cum certitudine assequi veritatem, agit illud omne, quod potest, si verisimilitudinem curet invenire. Major autem aut minor verisimilitudo nihil interest, cum utrique possit subesse falsum, et praeponderantia in verisimilitudine sit res relativa, incerta, et fallax. Haec retuli, ut videas, quanti negotii sit, inter has opiniones Probabilismi, et Probabiliorismi velle se judicem sistere.

Occasione autem data illius reflexi judicii, cui nonnulli tribuere videntur nimis universalem vim, et extensionem pro omnibus fere casibus et personis, videamus, an illud reflexum judicium a Confessario prudenter adhiberi possit in casu practico hujus quaestionis, quam prae manibus habemus. Meminisse enim oportet, quod hic agimus unice, aut ferme unice de regula, quam Confessarius adhibere debet in resolvendis casibus difficilioribus, obscuris, et controversis, pro quibus in utramque partem adest vel directa vel indirecta auctoritas Doctorum. Ratio intrinseca me suadet pro una parte, et ad eam accedit auctoritas graviorum Doctorum. Ratio intrinseca non me suadet pro altera;

sed tamen habeo in pretio auctoritatem Doctorum, qui illam approbant. Igitur pro una parte habeo judicium directum de gravitate intrinseca rationum, et simul judicium reflexum de eadem gravitate propter extrinsecam auctoritatem Doctorum, qui eam amplectuntur. Pro opposita vero non habeo nisi judicium reflexum de ejusdem gravitate, propter extrinsecam auctoritatem sapientissimorum hominum, qui illam tuentur. Nunc autem postulo. Est ne hominis prudentis, repellere judicium directum simul, et reflexum de gravitate, et veritate unius sententiae, et potius adhaerere judicio tantum reflexo de gravitate, et veritate oppositae sententiae, et hoc judicium assumere pro regula moralium actionum? Quis sapiens, et prudens hoc dixerit? Ergo tuta et prudens regula ea potissimum videtur, quae docet in factis obscuris et difficilioribus illam sententiam sequi, quam ratio suadet, et auctoritas firmat. Quod si, ut dicebamus, Probabiliorista contendat, hujusmodi de facto esse saltem in praxi suam opinionem, quia sententia, quam in concursu contradictoriae ratio suadet, et auctoritas firmat, est semper et necessario probabilior opposita; et statim ac ratio cum gravibus momentis me suadet de veritate

unius sententiae, fieri nequit, ut uno et eodem tempore me ratio suadeat de veritate oppositae sententiae cum momentis minus gravibus; si inquam Probabiliorista ita contendat, cum eo quidem non disceptabo. Sed quid inde? Ecce Probabiliorista, qui extemplo factus est Probabilista. Etenim si in concursu sententiae probabilioris deficit, et evanescit gravitas rationum pro opposita sententia, jam simul deficit, et evanescit probabilitas ipsa illius oppositae sententiae, quia non est probabilis illa sententia, quae non habet pro se graves rationes in conflictu contrariae sententiae juxta Probabilismi definitionem. Sublata autem probabilitate contrariae sententiae, ea, quae dicitur probabilior, evadit unice probabilis, quia comparativum supponit positivum ejusdem speciei, cui opponitur; et majus et minus non invenitur, nisi ubi sunt duo termini, qui invicem comparari possint. Et consequenter sententia, quae possit demonstrari probabilior, fit hic et nunc sententia, quae unice, et vere probabilis est, et ea, quam saltem relative hic et nunc ratio unice suadet, et auctoritas firmat.

Ergo, dicet aliquis, Probabiliorismum est in praxi sententia communis et Probabi-

listis, et Probabilioristis. Peto, quo fundamento hoc asseris? Quia Opinio probabilis est ea, quae nititur gravi, ac solido fundamento intrinseco rationis, et extrinseco auctoritatis, quod trahere ad se valeat assensum viri prudentis, quamvis cum formidine oppositi; est ergo ea, quam ratio suadet et auctoritas firmat. Habeat, aut non habeat contra se probabiliorem opinionem; est haec methaphisica disputatio difficillimae solutionis, quae ad praxim nihil attinet, statim ac verum sit, quod possim sequi sententiam, quam post accuratum examen, etiam in conflictu oppositae opinionis, prudens ratio suadet, et gravis auctoritas firmat. Si prudenter, et graviter suasus sum extrinsecis rationibus unius sententiae, si pro illa intrinsecas rationes invenerim ita graves, et solidas, ut valeant ad se trahere assensum viri prudentis, fateor, quod in praxi difficillimum erit, et forte impossibile, ut uno, et eodem tempore graviores rationes pro contradictoria sententia conspiciam, et agnoscam. Et hinc fortasse fit, quod in praxi sententia, quae alteri est probabilior, interdum mihi sit tantum probabilis, et etiam improbabilis, aut e contra; quia qui graviter, et prudenter suadetur in favorem unius sen tentiae,

aspicit ordinarie veluti parum prudentem assensum alterius in favorem sententiae oppositae. Sed hoc probat, quod quaestio de Probabilismo, et Probabiliorismo est practice apud doctos, et timoratos viros, quaestio fere de nomine, et de subjecto actu, et practice non existente, seu non supponente. Si aliquis ita disputaret, non inficior, hanc etiam argumentationem gravissimis momentis inniti. Verum quid inde? Quaestio igitur ad vocabula in praxi reducitur, et dissidium facillime dirimeretur, si uterque suum vocabulum dimitteret, et amplecteretur regulam, quam in praxi uterque sequi sub diversis vocabulis fatetur. Quae est autem haec regula? Pro doctis, et probis utriusque sententiae asseclis est revera, et in praxi ea, quam docet Benedictus XIV. Utrique enim in praxi sequuntur sententiam, quam sibi, omnibus serio expensis, prudens ratio suadet, et gravis auctoritas firmat; et quam Probabiliorista dicit esse illam, quae ostenditur probabilior in conflictu oppositae tantum probabilis, quia haec non potest in tali conflictu a gravi ratione suaderi, et ab auctoritate firmari, quae prudentem mereatur assensum; et quam Probabilista ait esse illam, quae probabilis invenitur absque praeferentia probabi-

E 4

lioris, quae in conflictu non demonstratur esse possibilis, et si possibilis esset, non foret juxta diversitatem, et vires humani intellectus et naturae certa, universalis, et ad praxim reducibilis. Reliquum igitur est, ut abjectis diversis vocabulis, quae dissidia inutiliter, et nocive pariunt, vocabulorum univocam deffinitionem, quam in praxi omnes probi, et docti homines sequuntur, etiam in scriptis amplectantur, ut eam quisque opinionem doceat et sequatur, quam prudens ratio suadet, et gravis auctoritas firmat; seu quam inveniet tum ratione, tum auctoritate plane confirmatam. Quis reprehensibilis aut apud homines, aut apud Deum evadet, si eam regulam profiteatur, quam Summus Pontifex proposuit et insinuavit?

Exponam etiam magis distincte rationem jam superius allatam, quae valde me movet ad consulendum Confessariis, ut dimissis vocabulis Probabilismi, et Probabiliorismi, ad Regulam a Benedicto XIV. propositam accedant. Haec autem est, quod Confessarius, qui regulam practicam ad suos poenitentes dirigendos inquirit, difficillime eam invenire poterit in his sententiis, in quibus plura latent obscura, implexa, et in praxi pro multis Confessariis fallacia, et decipien-

tia. Vis amplecti opinionem probabiliorem? Sed considerasti ne, quod sit objectum tuae electionis? De qua probabiliori opinione loqueris? de aliena, an de tua? Si de aliena, quae tamen tua non sit, ergo te unice determinas super auctoritate Doctorum, qui aliquam sententiam ut probabiliorem proponunt. Sed quis moraliter certus esse poterit, hujusmodi sententiam esse vere probabiliorem opposita, scilicet gravioribus fundamentis et rationis, et auctoritatis inniti, et fulciri? Saepe invenies, quod alii Doctores eam respuunt tamquam debili rationi innixam, aut solidis rationibus omnino destitutam. Introspice, et vide, an apud illos Auctores hujusmodi sententia nuncupetur Probabilior, quia vere melioribus probationibus adstipulatur, aut quia est magis rigida, et magis tuta. Fere numquam certus eris de majori probabilitate alicujus sententiae, nisi ad eam testificandam concurrant utriusque scholae patrocinatores, quod vere aliquando fit, sed tamen raro. Si autem contendis, ut ad definiendam cujuscumque sententiae majorem probabilitatem accedat praeter auctoritatem etiam tuum judicium, videbis, quod in praxi, ubi invenisti post serium examen majorem probabilitatem, ita illi senten-

tiae adhaeres, ut oppositam non probabilem, non gravibus fundamentis innixam, sed futilem et improbabilem ordinarie judices; ideoque quam amplecteris, erit revera unica, quam ratio tibi suadet, et auctoritas firmat. Sed alias invenies, quod expensis hinc inde rationibus, ea sententia, quam alii ut probabiliorem tuentur, non est tamen ejusmodi respectivae preponderantiae, ut tuum intellectum determinet ad ferendum judicium, et adhaerendum illi ut probabiliori, absque difficultate, et contentione, sed te linquit potius fluctuantem et suspensum, et dubius adhuc haeres, quamvis cum aliqua inclinatione ad unam partem; quae propensio non est tamen sufficiens ad pronuntiandam de majori ejus respectiva probabilitate sententiam.

Quod si ad Probabilismum deflectas, rursus inter eosdem fluctus versaberis. Aut enim de gravitate rationum alicujus sententiae, quae gravitas Probabilismo est essentialis, cognitionem et certitudinem recipies ex Doctorum auctoritate, et relatione tantum, aut simul ex tuo proprio judicio. Si primum, incertus multoties fluctuabis, quia alii eam vocant probabilem, alii etiam probabiliorem, alii tutam in praxi, alii moraliter certam, adversarii vero eam forte notant ve-

luti improbabilem. Raro invenies, quod etiam adversarii eam probabilem esse fateantur, quam conditionem tamen Pater Paulus Segneri exigit, ut quis probabilem sententiam in praxi sequatur. Si secundum, scilicet si praeter Doctorum auctoritatem vis etiam de alicujus sententiae intrinseca gravitate, et probabilitate a tuo ipso judicio convinci, quando hoc asequutus eris, et alteram, quam probabiliorem appellant, intueberis, haec tibi ut plurimum tunc apparebit non jam probabilior, sed minus probabilis, et fortasse improbabilis. Quum enim intellectus de vera et intrinseca gravitate rationum post diligentem discussionem persuasus est, jam sponte, et forte necessario et consequenter, contradictoriam aut despicere incipit, aut certe eam ut notabiliter praeponderantem non agnoscit. Revera Doctores, qui non moralium decisionum simpliciter collectores et relatores sunt, sed etiam auctores, quum aliquam suam sententiam proferunt, eam ita firme tuentur, ut ordinario pro ipsa suum judicium unice stare manifeste ostendant, quamvis contradictoriam interdum probabilitatis nomine donant, forte ob aliquam defferentiam ad auctoritatem Theologorum, qui illam defenderunt.

Profero exemplum. Quaeritur v. g. Cui facienda sit restitutio rerum inventarum habentium dominum, sed incertum, et an inventor possit eas sibi retinere. Inquiro hujus dubii solutionem apud Summistam, et invenio ita scriptum. Busemba. *l.* 3. *tract.* 5. *cap.* 2. *dub.* 5. *Si spes non sit sciendi dominum, Probabile est, quod non tenearis ea dare pauperibus (licet plerique cum D. Thoma ita sentiant, et sit magis pium, ac practice suadendum) sed possis tibi retinere, ut docet Petrus Navarrus, quem sequitur Layman hic, et Lessius l.* 2. *c.* 14. *dub.* 7. *num.* 48. *idque Diana p.* 2. *tom.* 3. *Misc. R.* 5. *dicit esse tutum.* Ex hoc Summista colligo, quod inventor possit bona incerta retinere tuta conscientia, et hanc decisionem esse Probabilem, scilicet innixam gravibus fundamentis rationis et auctoritatis. Rationes autem hujusmodi Summista mihi non suppeditat; ideoque saltem unum ex Doctoribus ab eo citatis consulo. Sit itaque Leonardus Lessius gravissimus equidem Doctor, et apud omnes in summo pretio habitus. Quid ait Lessius loco citato? Refert Dominicum Sotum *lib.* 5. *de justitia qu.* 3. *art.* 3. *ad* 2. putasse inventorem, si post diligentem inquisitionem dominus inventus non fuerit, posse res inventas sibi retinere,

neque obstare ullum jus positivum ecclesiasticum, aut divinum, quo haec necessario sint pauperibus eroganda. Et ratio a Soto adducta est, quia talia bona hoc ipso, quod per sedulam inquisitionem, tempusque ad id sufficiens, dominus non potest deprehendi, censentur adespota: ac proinde jure naturae fiunt occupantis, sicut thesauri, et alia, quae nullius sunt, nisi quod tacita quaedam obligatio illis annexa sit, ut si dominus compareat, restituantur. Deinde quia super hujusmodi bonis numquam solet fieri compositio cum Pontifice, ut testatur Navarra *l.* 4. *c.* 2. *num.* 71., quod signum est, ea non esse necessario in pios usus eroganda. Eandem sententiam sequitur Petrus Navarra *l.* 4. *c.* 2. *n.* 75., qui pro eadem citat Ledesmam, Mercatum, et Barthol. Medinam. Concludit Lessius. *Haec sententia est probabilis*.

Videamus modo, quid idem Lessius de opposita sentiat. *Contraria tamen*, ait, *est fere communis Doctorum*; nempe haec pauperibus, vel aliis piis operibus esse impendenda; eamque tenet D. Thomas *qu.* 62. *art.* 5. *ad* 3., et passim Theologi in 4. *d.* 15. Silv. *v. Inventum n.* 2. ubi dicit, *Omnes Canonistas ita sentire*; Navarrus *c.* 17. *num.* 170. Covar. *ad reg. Peccatum*, 3. *part.* §. 1. *n.* 1.

et seqq., qui etiam non probat consuetudinem illam applicandi haec Magnatibus. *Hanc sententiam ordinarie in praxi judico sequendam*. Primo: Quia est fere communis. Secundo: Quia magis favet pietati. Tertio: Quia passim apud pios est consuetudo, ut piis operibus haec impendantur: quae consuetudo videri potest habere vim legis; orta enim est ex praxi communis sententiae, quae usque ad Sotum viguit, unde magnum scrupulum plerique, si haec sibi retinuerint, concipiunt. Quarto: Quia est magis consentanea juri communi. Nam Authent. Omnes peregrini, C. Communia de success. statuitur: *Si peregrinus intestatus decesserit, ad hospitem nihil perveniet; sed bona ipsius per manus Episcopi loci, si fieri potest, haeredibus tradantur, vel in causas pias erogentur &c.* Quinto: Quia haec videtur esse domini voluntas, ut sic ei res sua aliquo modo prosit, et quisque de rebus suis perditis ita fieri cuperet. Sic ratiocinatur Lessius.

Quo posito video, me ab illo Summista deceptum fuisse, quum Lessii auctoritatem citavit ad asserendum esse Probabile, quod bona inventa, quorum dominus cognosci nequit, possint ab inventore retineri. Si enim simplici illius relationi ego stetissem, judi-

care debebam, esse quidem magis pium, et practice suadendum, ut bona inventa in pia opera erogentur, sed tamen esse probabile hanc obligationem non existere, ideoque ad eam neminem rigorose in conscientia teneri. At vero quamvis Lessius hujusmodi sententiam vocet probabilem, ex subsequentibus intelligo, quod eam probabilem vocavit potius ob defferentiam erga Doctores, qui eam defenderunt, quam quia ipse ita sentiret; appellavit probabilem, sed speculative, non in praxi; quia non dixit practice tantum suadendam, sed ordinarie in praxi sequendam oppositam opinionem. Neque certe contra Doctorum fere communem sententiam, praxim piorum Fidelium, congruitatem cum jure communi, et alias adductas rationes videtur stare posse sententia opposita cum probabilitate, seu cum gravitate rationis et auctoritatis. Quis dicat probabilem, seu verisimilem opinionem, quae olim per communem Doctorum sententiam ante Sotum, nunc autem etiam post Soti auctoritatem, et ab eo prolatas rationes, per fere communem sententiam repudiatur? Si aliqua probabilitas huic opinioni tribui velit, ea non potest esse nisi tenuis, non vero gravis in eo gradu, quem ipsi Probabilistae contendunt neces-

sarium esse, ut vir probus ad eam sequendam prudenter determinari possit.

Jam vero curiositas me exagitat ad inquirendam auctoritatem etiam Pauli Layman a Summista citati. Invenio autem, quod hic Doctor gravissimus *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 23. *et* 24., ubi de hac quaestione agit, post oppositarum sententiarum aliquam discussionem concludit: *Inter has duas sententias prior* (scilicet de obligatione erogandi bona inventa in pauperes) *magis pia ac tutior est*; *attamen posterior* (scilicet de jure ea sibi retinendi) *quoque valde probabilis*. Vides, quod aliquid addit supra assertionem Summistae, qui eam appellat simpliciter *probabilem*; Layman vero vocat *valde probabilem*. Rationes autem a Layman adductae ad hanc fere reducuntur, quod *si Dominus longo tempore non comparet, perinde esse censetur, ac si res inventa domino careat, et pro derelicta habita sit*. Verum in hoc casu non videtur, rite applicari posse doctrinam de bonis derelictis. Derelicta enim ea bona dicuntur, quae dominus ea mente abjecit, ut in numero rerum suarum esse nolit, aut quae dominus sciens ubi sint quaerenda, non curat ea recuperare. Ac revera si res inventae hujusmodi sint, aut inventor prudenter hoc praesu-

mere possit, tunc locum habet sententia Layman, quae etiam fundatur in eo, quod asserit D. Thomas 2. 2. qu. 66. art. 5. ad 2. *Si res pro derelictis habeantur, et hoc credit inventor, licet sibi eas retineat, non committit furtum*. Sed quaestio fit non de derelictis, sed de amissis fortuito, quae dominus voluntarie non dimisit, et de quibus non est fundata praesumptio, quod voluerit umquam dominus suum jus dimittere, sed potius ad haeredes transferre, si mortuus fuerit. Et quamvis aliqui dixerint, rem etiam haberi pro *derelicta*, quando Dominus ita eam proijcit, vel relinquit, ut nulla ei spes supersit industria aliqua, vel aliquo casu eam recuperandi, et aliquis eam extraordinaria industria eripiat, et salvet, tamen ait Lessius *l.* 2. *cap.* 5. *dub.* 18. et §§. *penult. et ult.* Institutionum de rerum divisione, *et. L.* 1. *et seq. ff.* pro derelicto; *non existimo id esse verum, nisi dominus significaverit, se eam concedere occupanti, vel industriae aestimatio sit fere par illi rei*. Aliam rationem ex Cardinali de Lugo adducit Ligorius in eo tamen casu solummodo, in qua nulla supersit via, qua naturaliter et humano modo possit res inventa ad potestatem domini, vel ejus haeredum redire, et ipsi eam agnoscere tanquam suam,

et est sequens : Quia jus gentium tribuit privatis dominium rerum non ad aliud, quam ut illis utantur ; hinc quando impossibile est, rem pervenire ad ipsorum usum, illa tanquam derelicta evadit nullius, et redit ad primaevum jus naturae, ac ideo fit primi occupantis sine ulla obligatione. Ligorius *lib.*3. *tract.* 5. *num.* 603. et de Lugo *de just. et jure tom.* 1. *disp.* 6. *sect.* 12. *num.* 140. *et seq.* Sed haec ratio ex ipsius de Lugo sententia in paucis casibus suffragari potest, quia *ut plurimum ea, quae inveniuntur, non censentur esse nullius in bonis. Sunt quippe possibiles varii casus, ut constat experientia, per quos, quae non videbantur posse unquam inveniri aut recuperari, aliquando recuperata et recognita sunt*. Quare si legatur de Lugo loco citato, facile erit intelligere, quod ipse de aliquo raro casu loquitur, non de casibus ordinariis, et regularibus, in quibus asserit, *communem sententiam esse, ea bona danda esse pauperibus, vel ad pios usus*. num. 139. Quid vero dices, si Lucium Ferrari percurras verbo *Dominium* num. 18. usque ad 22., et invenias sententiam de jure retinendi res incertas fortuito inventas ab aliquo Doctore vocari non improbabilem, ab aliis probabiliorem, ab aliis probabilem, a quibusdam valde proba-

bilem, denique ab alio in praxi tutam, et securam? Contrariam vero rigidiorem etiam a quibusdam Doctoribus, qui Probabilistae vocitantur, ut Filliuccius, Vasquez, Reiffenstuel, tueri tanquam in praxi sequendam? Nonne vides, in quas syrtes coniicitur Confessarius inter hos Probabilismi, et Probabiliorismi vortices, e quibus sese eripere incolumem fere desperabit? Et tamen mihi nulla quaestio de hac re, postquam Catechismus Romanus *part.* 3. *cap.* 8. *num.* 17. sic statuit. *Si rerum inventarum Dominus nulla ratione inveniri potest, illa sunt bona in usus pauperum conferenda*. Adde, quod in aliquibus Dioecesibus ab Ordinariis praescriptum est, ut hujusmodi bona, quum certam quantitatem excedunt, juxta eorum dispositionem resignentur. Hae auctoritates apud me tanti ponderis sunt, ut quaecumque rationes in contrarium ferantur, omnem respectivam gravitatem amittant. Auctoritas enim Romani Catechismi jussu Summorum Pontificum confecti, et editi, moralem certitudinem mihi parit, neque opinari possum, plures Episcopos dispositionem bonorum incertorum sibi avocasse, ut in pia opera erogarentur, si eorum jus ad inventores pertineret. Vides igitur, quam verum sit, hos Probabilis, et

Probabilioris vortices ita Confessarium torquere, ut nisi ab eis sese extricare possit, veram sententiam numquam arripiat. Jam mihi nec Probabilis, nec Probabilior sententia illa erit, contra quam Romani Catechismi doctrinam, et Ordinariorum praxim invenero. Adde, quod paritas thesauri, qui inventori cedit saltem aliqua ex parte, non difficulter rejici potest. Thesaurus enim dicitur non habere dominum, quia qui sciens, et prudens pecuniam in aliquo loco abscondit, et deinde non comparet, nec repetit, censetur non esse inter vivos, neque hujus notitiam haeredibus reliquisse, ideoque vere naturaliter impossibile esse, ut abscondita pecunia ad suum dominum regredi possit. In quo casu leges civiles disposuerunt de thesauris. Itaque ille, qui abscondit, sciens et prudens sese illud amittendi periculo exposuit, quod periculum praecavere poterat, et si non fecit, irrationabiliter invitus erit, si alter inventis gaudeat, cui ipse sciebat per legum dispositionem in tali casu jus acquiri, ideoque rationabiliter censetur, indirecte saltem, pro tali eventu suo dominio renunciasse. Hoc autem locum non habet in rebus fortuito, et absque praevidentia domini amissis, nec leges contra eum disposuerunt, nec ejus assen-

sus vel indirectus in amissionem dominii rationabiliter praesumitur.

Alia ratio mihi suppetit, ex qua facile dignosci potest, quomodo Probabilismi, et Probabiliorismi usus difficillimae, et incertae praxi subjectus evadat. Pertinet enim hujusmodi usus ad plures intellectus operationes, et quidem per plures gradus distinctas, quae in praxi attendi et separari, prout necesse est, non ita facile possunt, ut ab omnibus clare cognoscantur. Vidimus supra, quomodo communiter a Theologis rite distinguantur *Dubium*, *Opinio*, et *Certitudo*. Inter dubium autem et opinionem, inter opinionem et certitudinem, plures gradus intercedunt, per quos ab uno termino pedetentim recedimus, et ad superiorem terminum magis appropinquamus. Manifestum etiam est, quod qui ab Opinione procedendo ad certitudinem ita accedit, ut eam propemodum attingat, non videretur vir prudens, si eam sententiam praeferret, quae vix opinabilis est. Pariter inter opinabiles sententias sunt aliquae, quae vix recedunt a dubio, et aliae, de quibus certum judicium proferri nequit, an dubii fines excesserint. Ecce igitur, quomodo Confessarius facile fluctuare potest in usu Probabilismi, et Probabiliorismi. Ad hanc autem dif-

ficultatem illustrandam juvat etiam alicujus moderni, et probati philosophi circa hujusmodi intellectuales actus divisiones, distinctiones, et deffinitiones afferre. E philosophiae enim sinu haec deprompta theologi ipsi in theologiam invexerunt.

Joannes Baptista Horvath in Regia Scientiarum Universitate Budensi Professor Institutiones Logicas typis edidit, quae magno in pretio nunc in scholis habentur. Augustae Vindelic. 1788. Igitur in dissert. secund. de Judicio cap. 3. de divisionibus propositionum, dividit propositionem in *certam*, *probabilem*, *improbabilem*, et *dubiam*; ex quo loco cum aliis ejusmodi Auctoris collato discrimen adducam inter has propositiones. *Certa* propositio ea est, cujus veritati sic adhaeret intellectus, ut de ea saltem prudenter dubitare nequeat. Triplex autem ut omnes norunt est propositionis Certitudo, scilicet metaphysica, physica, et moralis. At recte animadvertit hujusmodi Auctor, quod si proprie loqui velimus, non propositio *certa*, sed mens potius de veritate propositionis certa dicenda est. Quoties enim fit, ut eadem propositio uni certa sit, non item alteri, prout nempe ejus veritas uni clarius, quam alteri proponitur? Addam ad majorem distinctio-

nem. Quoties una propositio mihi certa est, et non alteri, certitudo propositionis est relativa. Quoties vero propositio certa est omnibus, aut fere omnibus, certitudo propositionis est intrinseca et absoluta.

Probabilis propositio illa dicitur, quae ob unam vel plures rationes graviores, sive graves *videtur vera*, non tamen omni erroris periculo, ac metu libera. Porro illae rationes censentur esse graves, quae virum sapientem, ac prudentem ad assentiendum movere, et inducere possunt. Igitur propositio probabilis non nisi opinionis enunciatio est. Opinio autem est assensus incertus, qui nititur motivo gravi quidem, et verosimili, sed tamen fallibili ac proinde incerto: hoc est qui habet quidem aliqua veritatis indicia, sufficientia ad hoc, ut judicium quodpiam prudenter feratur, sed non sufficientia ad determinandum intellectum assensu firmo, et certo, et absque ulla sollicitudine et formidine pro ipsa. Differt Opinio a Dubio, quod est status mentis, in quo ipsa neutri parti contradictionis assentitur, sed suspensum tenet judicium, vel ob defectum indiciorum veritatis, unde dubium negativum oritur, vel ob aequalitatem eorundem in utramque partem, unde dubium positivum dicitur. Differt pa-

riter Opinio a Suspicione, quae est status mentis, in quo intellectus propendet quidem ad judicium ferendum, neque tamen fert illud propterea quod rationes, quibus ad id incitatur, non videantur ad ferendum prudenter judicium sufficere. Opinio igitur non habet certam veritatem, sed debet habere certam et probatam verisimilitudinem. Fit autem saepe, ut pro una duarum propositionum oppositarum adsint graviores rationes, quam pro altera, ita ut prima verisimilior appareat, quam opposita, et tamen prima forte erit falsa, et altera vera. Non itaque concludendum est, eam ex duabus oppositis propositionibus esse veram, quae probabilior apparet, sed esse dumtaxat verisimiliorem. Idem est autem esse verisimile, quam probabiliter verum, ideoque propositio probabilis est idem, ac propositio probabiliter vera propter rationes graves, quae suadeant, sic rem se habere, ut illa enunciat.

Addo autem ut de Certitudine dictum est; Quoties una propositio mihi probabiliter vera est, et non alteri, tunc probabilitas, seu verisimilitudo propositionis est relativa. Quoties autem probabilis est omnibus, vel fere omnibus, verisimilitudo propositionis est intrinseca et absoluta.

Improbabilis propositio est, quae nullo motivo gravi, et ad prudentem assensum sufficiente nititur. Quod si quis absque hujusmodi gravi motivo contra communem meliorum sensum quodpiam affirmet, vel neget, ejus propositio non improbabilis modo, verum temeraria etiam dici solet. Quare etiam improbabilis propositio alia est, quae opponitur communi meliorum sententiae, et tunc ejus improbabilitas est absoluta, nisi diversimode demonstretur, aut est improbabilis solum aliquibus, et tunc ejus improbabilitas est relativa.

Propositio *dubia* est, cui mens nec assentire, nec dissentire audet; propterea quod utrinque vel paria, vel nulla adsint motiva, seu veritatis indicia. Ac primo quidem casu, ut dixi, est positive dubia, altero autem negative dubia solet nuncupari. Addo, quod aliquoties agnoscimus pro una propositione rationes, quae nobis videntur aliquomodo graviores, quam pro alia, sed tamen adeo graviores non sunt, ut mens illis assentire aut cum certitudine, aut opinative audeat, unde ex finibus dubietatis prosilire prudenter nolimus. Consule *cit. Auctor. pag.* 31. 37. 38. *et* 39.

His autem expositis, quis non videat,

quot difficultatibus pateat Probabilismi , et Probabiliorismi usus. Ut sententia sit vere in praxi probabilis , plures cum Patre Paulo Segneri requirunt , ut ejus probabilitas non sit tantum relativa , sed absoluta , scilicet per communem Doctorum decisionem ut probabilis declaretur. Hanc autem erit ne facile invenire ? Et quum reperta fuerit , opus erit , illam cum adversa conferre , quae probabilior adseritur. Sed hic etiam interrogo, an illa major probabilitas , cum qua sententia probabilis decertat, debeat esse absoluta , aut sufficiat, ut sit relativa? Si absoluta, vix inveniri poterit ; quod Doctores communiter affirment unam partem contradictionis esse probabilem, et alteram probabiliorem. Quod si hoc aliquando evenerit, asserta ex communi sententia major probabilitas pro una parte tandem probabilitatem pro altera elidet. Vix enim intelligi potest, quomodo notabilis rationum praeponderantia ab omnibus agnita, et confessa non elevet denique , et destruat oppositam gravitatem. Si vero dicatur, sufficere , ut major probabilitas sit relativa , ejus praeponderantia nimis fallibilis est , ideoque non videtur a prudenti viro magni facienda. Neque hic finis difficultatum. Quum enim dubium subsequatur sus-

picio, et suspicionem probabilitas, et probabilitas suos habeat gradus successive superiores, nihil facilius per hos gradus interdum ascendere, et interdum delabi, et rursus in sublime ferri absque requie, quae ordinarie non invenitur, nisi aut certitudinem assequaris, aut ad eam propius accedens dicere possis: Hoc mihi ratio suadet, et auctoritas firmat. Si hoc asserere nequeas, et super tui intellectus operationibus intuitum defigas, invenies, quod ordinarie aut dubii fines non excessisti, aut illos excessisse tibi ipsi certo non constat, ideoque tibi tunc resolvendum est juxta id, quod communiter in dubio juris, vel facti agi posse, aut omnino agendum, Doctores affirmant.

Neque enim Probabilioristarum spernenda ratio est, quod scilicet notabilis excessus probabilitatis pro una parte alterius partis probabilitatem elidit. Addam ego: si vero non elidit, jam signum est, excessum aut non esse notabilem sed modicum, aut non absolutum sed relativum, aut non stabilem sed fluctuantem, ideoque non determinare agentem ad exiliendum tuto a finibus dubietatis; et a suspensione judicii, et ab praebendum opinativum assensum alicui parti. Dixi, non esse spernendam illam rationem, quia non

desunt moderni Philosophi, qui eam ita mordicus amplectantur, ut eam methodo algebraica demonstrare contendant. Sit mihi testis sensatissimus et probatissimus vir Sigismundus Storchenau in Accademia Vindobonensi Logicae et Metaphysice Professor. Ipse igitur *Logicae part.* 3. *cap.* 3., agens de Probabilitate et Opinione *num.* 214. statuit, et propugnat hanc thesim. *Propositiones contradictoriae absolute, et secundum se spectatae possunt simul esse Probabiles, at si eae inter se conferantur, comparatione instituta major unius partis Probabilitas minuitur; minor vero alterius partis Probabilitas deficit degenerando ad Improbabilitatem*. Probat vero, quod probabilitas minor prorsus evanescit, atque ad improbabilitatem degenerat, quia probabilitas major ea sui parte, qua minori aequatur, eam jam prorsus elidit, et detrudit ad locum dubii, quia si esset aequalis alteri, foret dubium. Igitur ea parte, qua minorem excedit, ipsam infra dubium deprimit; sed infra dubium habetur improbabilitas: ergo in hac collisione minor probabilitas ad improbabilitatem degenerat. Hinc pro corollario deducit sequentem propositionem. *Cum probabilitas minor in concursu cum majore pereat, palam est, actiones nostras secundum eam,*

quae majori probabilitate gaudet, partem moderandas esse : qui enim sequeretur minus probabilem, sequeretur sibi improbabilem, atque adeo imprudenter ageret. Addit autem in fine. *Id tamen in hac comparatione notandum, eam fieri haud posse, nisi indicia utriusque partis sint ejusdem rationis, nimirum vel omnia ex ratione, vel omnia ex auctoritate petita*. Cui etiam addi debet, quod etiamsi indicia utriusque partis fuerint quidem a ratione petita, sed sint ut ita dicam heterogenea, quia a diversis principiis, et fundamentis eruta, ut saepe accidit, ea comparatio locum non habet, nec similiter ea deductio. At haec observatio, quae aequissima est, multum implicat in praxi Probabilismi, et Probabiliorismi usum, quia non raro evenit, ut quae sententia est mihi probabilior ratione, sit tantum probabilis auctoritate, et e contra.

Profero Auctorem alterum in methaphysicis rebus versatissimum Emin. Cardin. Jacintum Sigismundum Gerdil. In collectione ejus Operum typis Bononiensibus edita anno 1790. tom. 6. habetur ejus Oratio de Causis Accademicarum Disputationum in Teologia Morali, cui adjectae sunt Notationes, quarum duodecimae praefigitur titulus : *Cogitata quaedam de probabili*. Ibi itaque demon-

strare intendit, quod *quum aliquid prae alio probandum judicatur, illud unum est, quod Probabile merito appellari queat, in quo nimirum probabili judicio, ac prudenti animus acquiescit*. Hanc autem propositionem et rationibus, et auctoritatibus, et exemplis confirmat, unde deducit, *quod Probabile ad judicium idem sit, quod vulgo Probabilius appellari consuevit*; *quod videlicet, cum animus sese colligit, et cum se ipso deliberavit, perspicit esse vi sua, et natura contrario praeferendum*. Tota vis ejus cogitationis in hanc propositionem tendit, ut existimo, quod id, in quo intellectus praeponderantiam rationis et auctoritatis agnoscit, illud vere suo judicio approbat, et quum unam partem contradictionis approbavit, alteram necessario respuit: absurdum est enim approbare simul et eodem tempore duas contradictorias propositiones. Quare altera, quae ante meam electionem et judicium erat mihi probabilis, non est amplius probabilis mihi, qui contradictoriam actu approbo.

Quidquid vero sit de veritate harum ratiocinationum; non est enim meum has controversias dirimere, aut aliquid deffinire; tamen ad propositum meum deducam, quod Probabilismi, et Probabiliorismi opinio inter

multiplices difficultates, et ambages versatur. Si quid autem adductae clarissimorum hominum rationes valerent, ridiculum sane foret apud philosophum, qui animadverteret praestantissimos Doctores fere per saecula super falsa suppositione digladiatos fuisse. Concludi enim deberet, unam actu in moralibus controversiis esse homini exploranti, et judicanti probabilem sententiam; ideoque omnes probos et prudentes viros practice in Probabile convenire, abjecto comparativo, quod post judicium in intellectu non subsistit.

Haec erit igitur regula magis ad praxim reducibilis, et simplex, si in obscuris sequamur id, quod post diligens examen ratio suadet et auctoritas firmat, et quum hoc assequi non possumus, si propositum casum inter dubios rejiciamus. Haec autem suasio rationis non solum debet esse prudens, et gravis, sed etiam discreta, qualis adhiberi solet ab hominibus sensatis in negotiis suis, absque speculativis et metaphisicis ambagibus, in quibus Probabilismum et Probabiliorismum suos asseclas torquet. Quum in obscuris post accuratam discussionem sententiam invenero tum ratione, quae me suadeat, tum auctoritate, quae gravis sit, plane confirmatam, juxta praescriptam regulam tuto procedere possum ad

electionem, nec ultra quaerendum est inter latebras speculativi et reflexi dictaminis, quia regula certa est, quod in iis, in quibus certitudinem assequi non possum, prudenter me gero, si illud amplectar, quod mihi tum ratione, tum auctoritate plane confirmatur, etiamsi in contrarium videam adhuc aliquam rationem, et auctoritatem, quae non omnino spernenda sit. Ita in casu supra exposito de inventis bonis incertis facile me resolvo, postquam Romani Catechismi doctrinam, et aliquarum Ecclesiarum praxim notaverim, quae me prae omnibus rationibus suadet; nec tamen adversae auctoritatis, et rationis pondus omnino contemnendum judico, si separatim consideretur; in conflictu autem cum Catechismi doctrina, et Ecclesiarum praxi fieri nequit, ut mihi probetur. Atque in hoc diversitatem repono; quod in eo, quod mihi probatur, et quod mihi ratio suadet, et auctoritas firmat, veluti in loco veritati propinquo mens conquiescit; contra vero non conquiescit in eo, quod ratio mihi non suadet, aut praevalens auctoritas non insinuat.

Denique praecipua ratio, quae me impellit ad consulendum, ut vocabula Probabiliorismi et Probabilismi dimittantur, haec est, quia hujusmodi vocabula apud patro-

cinatores utriusque sententiae non uniformiter definiuntur, aut explicantur, unde fit, ut adversariis ad gravissimas et numquam finem habituras difficultates occasio praebeatur, et responsiones in incerto fluctuent, et in plures sententias una sententia dividatur: Hoc autem, quoniam veritati obsequium praestare probi et sensati viri officium est, non videtur ex omni parte Probabilioristis ac Probabilistis commune. Etenim Probabilioristae aut omnes, aut fere omnes in Probabiliorismi deffinitione conveniunt, quum dicunt: Opinionem Probabiliorem esse eam, quae nititur fundamento graviori rationis, et auctoritatis in concursu oppositae sententiae, quae habet pro se fundamentum respective minus grave auctoritatis et rationis, ita ut minor formido errandi stet pro illa, quam pro ista. Sed si Probabilismi deffinitionem inquiras, aut in ejus asseclis, aut in ipsius adversariis, non multos invenies, qui in ea assignanda ex omni parte conveniant. Aliqui enim pro essentialibus constitutivis exigunt rationem intrinsecam, et extrinsecam rationem, seu auctoritatem. Alii non copulative, sed disjunctive, aut rationem, aut auctoritatem pro constitutivo assignant. Rursus in auctoritatis conditionibus describendis si non dissidere, certe non con-

venire videntur. Denique exceptionibus, modificationibus, varietati, pro diversis casibus, ita omnia patefacta sunt, ut qui effusiores in hoc argumento pertractando fuerunt, iidem ut plurimum obscuriores et implicatiores evaserint. Hoc autem ex eo etiam ortum est, quod pauci ab initio, et in limine suae disputationis enunciant, et designant classem hominum, pro quibus regulam Probabilismi constituunt. Quae enim statuitur Regula pro peritis Confessariis, moderanda est pro rudibus et idiotis Poenitentibus, et nisi separatim pro his duabus diversis omnino classibus argumentum discutiatur, necesse fit, ut saepe quae applicanda sunt rudibus et idiotis, periti, et docti pro se dicta accipiant, et viceversa. Hinc ait Azorius in suis Institutionibus Moralib. lib. 2. cap. 17. *Quinto quaeritur: An sit eadem ratio in his omnibus de homine rudi, et imperito, quae est de perito, et docto viro? Respondent Henricus, et Conradus, non esse eandem rationem. Nam si vir sit peritus, et doctus, debet opinionum rationes, et pondera examinare, et excutere, ut prudenter agat. Si vero rudis sit et imperitus, ejus non est opinionum fundamenta discutere. Quare ut prudenter factitet, satis est si boni, et docti viri consilium, et opinionem*

sequatur. Sic etiam Sylvester v. *dubium* num.4. *Idem est, si dubitatur, an dubium sit scrupulosum, nec ne. Et ratio hujus est, quia qui in hujusmodi consuluit virum bonum, idest peritum et conscientiatum, etiamsi deinde consilio ejus erret, excusatur, quia laborat ignorantia invincibili*. Haec autem invincibilis ignorantia non potest eodem modo suffragari Confessario, qui ex officio tenetur in dubiis rationes expendere, et determinare suum judicium, quando potest, non solum super auctoritate, sed etiam super ratione. Hanc igitur distinctionem ego prae oculis habens ab initio professus sum regulam exhibere cum Benedicto XIV. pro Confessariis, qui saltem mediocriter docti, et periti praesumuntur. Etenim de rudibus et imperitis nullum fere negotium haberi potest, quum pro iis auctoritas sit ordinaria, et simplex regula in unaquaque obscura sententia, ut constat etiam apud eos, qui de hoc argumento disputantes sibi invicem in reliquis adversantur. Ut autem, quod dico, factis evidenter demonstrem, aliquod specimen hic exhibebo de diversa Probabilismi deffinitione etiam apud classicos Auctores, ut inde pateat, quam verum sit, ex hac deffinitionis diversitate pluribus difficultatibus aditum adversus hujusmo-

di opinionem patefactum fuisse, quae deinde multis implexis responsionibus, modificationibus, et evasionibus locum dederunt.

Agmen agat clarissimus P. Paulus Segneri, qui Probabilismum ex Doctoribus, qui illum praecesserunt, inter prudentiae limites ita conscripsit, ut nescias, quae differentia assignari queat inter Probabilem opinionem, quam ipse exhibet, et eam, quam prudens ratio suadet, et gravis auctoritas confirmat. Opus esset omnes, et integras Epistolas legere, quas ipse de hoc argumento perscripsit, ad quas lectorem remitto, et solum duo principalia Probabilismi constitutiva ex ipso recensebo. Sic igitur habet ep. 1. num. 27. *Il primo Costitutivo della opinione veramente probabile ha da essere sempre questo, che non si regga sopra ragioni frivole, ma fondate, quali sicuramente mai non sono le ragioni solubili ad evidenza. Vero è, che quelle ragioni stesse, che pajono ben fondate, non si hanno tanto subito a stimar tali, se non si sà, che dibattute fra Dottori con grande ardore hanno già retto lungamente all' incude, e tutt' ora reggono. Onde è, che non solo gli uomini riputati di buon giudizio, ma fino i Dottori classici ne' loro libri le danno per meritevoli del suo seguito; e se pure taluno vi fa contrasto,*

sì vede, ch' è singolare, ch' è stravagante, e che lo fa più per l'alto pregio, in cui tiene la mente propria, che per la gagliardia dell'opposizione... Il secondo Costitutivo delle dottrine probabili questo è desso; venire addotte, ed approvate da Autori Classici. Sed qui sunt Classici Auctores? Perlege eandem Epistolam, et inspicies, quot rigidae conditiones ad eum gradum promerendum a Patre Segneri exigantur; ita ut opinio in ejus sensu probabilis vix in conspectu suo probabiliorem sustinere possit.

Habeo etiam prae oculis breve, et discretum specimen opinionis Probabilis a Patre Dominico Turano S. Poenitentiariae Theologo exharatum, quod hic exhibeo ab ipsius originali transcriptum = *Per poter seguire una Opinione meno probabile i Dottori, che ciò difendono, richiedono onninamente necessarie le seguenti condizioni. Primo l'opinione stessa, che si ha per meno probabile, non deve avere contro di se niun principio certo, niun dogma, niuna decisione, niuna riprovazione della Chiesa. Secondo. Deve avere in favor suo ragioni gravi, solide, sensate, le quali antecedentemente ad ogni affetto disordinato siano abili a guadagnar l' assenso di un uomo prudente. Terzo. Deve essere stata esaminata seriamente da Dottori disapassionati, e perspicaci, e*

dopo tal esame dal commune di detti Dottori giudicata soda, fondata in buona ragione, e degna di poter muovere al suo assenso intelletti prudenti. E tal giudizio s'intende doversi dare eziandio da quei Dottori, a cui forse paja più probabile l'opposta, di modo che quantunque essi abbracciano l'opposta, pure confessino insieme, che quella, che seguono altri, non sia improbabile, o destituta di sode ragioni. Quarto: finalmente, il che segue naturalmente dalle tre condizioni precedenti, l'opinione debba intendersi meno probabile solamente respective, a parte di Autori, non a tutti: perchè sempre vi saranno altri Autori, che piuttosto la stimano più probabile, cioè quelli Autori, che direttamente la difendono, e insegnano, e però la preferiscono alla contraria. Se tali condizioni concorreranno nella particolare opinione meno probabile, ognun vede non potersi credere, che la dottrina riflessa, che insegna potersi, date dette condizioni, seguire la opinione particolare meno probabile, sia fonte di depravazione di costumi nel Cristianesimo. Che poi dette condizioni debbano concorrere in quella stessa opinione meno probabile, che si dice poter seguirsi, basta vedere eziandio il solo Padre Paolo Segneri nella prima delle sue notissime lettere sù quella materia del Probabile.

Quis talia considerans non dicat, opinionem probabilem sic intellectam, et declaratam ab omni prorsus laxitatis accusatione apud doctos, et sensatos homines se ipsam tueri? Sed duo animadvertenda occurrunt. Primo, quod tertia conditio a Patre Turano assignata difficilis in praxi, et ardua evadit. Etenim Doctores non omnes casus ad examen revocare potuerunt, et non multi casus, aut sententiae invenientur, in quibus de gravitate, et soliditate rationum pro utraque parte contradictionis omnes conveniant. Saepissime enim adversam veluti improbabilem oppugnant praesertim Auctores, qui post exorta de hoc argumento dissidia scripserunt, et ex hoc ipso plures Doctores exceptionem patientur, quoniam videbuntur nimis contentiose alterutram partem defendendam suscepisse. Secundo, non omnes saltem verbo tenus in allata deffinitione probabilis opinionis, et ejus conditionibus conformes sunt, unde fit, ut ajebam, quod vocabulum Probabilismi non apud omnes eodem omnino significatu accipiatur. Cujus veritatis quisquis per seipsum certiorari poterit, et tamen nonnulla exempla hic subjungam, ut specimen, quod promisi, lectoribus exhibeam. Franciscus Suarez tom. 4. tract. 3. disp. 12. sect. 6.

num. 1. *Nobis nunc satis est, illam existimari opinionem probabilem, quae etiam nititur auctoritate aliqua digna fide, quae in re morali multum habet ponderis, et non repugnat aut veritatibus ab Ecclesia receptis, aut evidenti rationi: neque etiam temere contradicit communi, et receptae doctrinae Doctorum: unde quo plus opinio partecipaverit utramque harum rationum, eo erit probabilior*. Thomas Sanchez in Decalog. lib. 1. cap. 9. num. 6. *Opinio probabilis est, quae rationibus alicujus momenti innititur, ita tamen, ut pro opposita parte nil convincens sit*.

Paulus Layman l. 1. tract. 1. cap. 5. §. 2. num. 6. *Probabilis sententia, uti communiter accipitur, ita definiri potest: Quae certitudinem non habens tamen vel gravi auctoritate, vel non modici momenti ratione nititur*. Gabriel Antoine de Conscient. c. 4. *Opinio probabilis speculative, ac secundum se, est opinio verisimilis, sed non evidenter vera, sive est opinio, quae nititur motivo gravi, sed absolute fallibili. Opinio vero Probabilis practice, et respective ad Operantem, est ea, quae apparet ita verisimilis, seu niti motivo tam gravi quamvis absolute fallibili, ut post diligentem veritatis inquisitionem, possit merito ac prudenter approbari ut vera*. Caramuel Apo-

log. de Probabili n. 91. *Opinio Probabilis ut sic, a rationali et autentica abstracta, debet sic definiri: Ubi non datur certitudo... Opinio, quae ratione gravi fulcitur, est probabilis:* Et in Theolog. fundament. num.437. fund.11. *Quid requiritur, ut opinio dicatur a ratione probabilis? Requiritur, ut non sit evidenter falsa, et nihilominus sit gravi fundamento suffulta, quam possit vir doctus defendere, cui oppositam possit idem acriter impugnare.*

Joannes de Cardenas tract. 1. de Probabilit. c. 2. num.16. *Juxta sententiam communi Doctorum suffragio approbatam (quod in deffinitionibus necessarium est) haec est deffinitio opinionis probabilis moralis: Est conclusio incerta prudenti fundamento nixa.*

Christianus Lupus in Dissertat. de Opinione Probab. cap. 2. *Hanc quidam ita definiunt: Probabilis Opinio est, quae certitudinem non habens vel gravi auctoritate, vel non modica ratione nititur. Auctoritas gravis censeri debet, quae est saltem unius viri docti et probi.*

Antoninus Diana tom. 8. tract. 1. de Opinione Probab. definitione omissa, ait resol. 1. num. 2. *Operans secundum opinionem probabilem non potest judicari temerarius, neque imprudens. Habet enim pro se rationes alicujus momenti.*

Anacletus Reiffenstuel Teolog. Moral. tom. 1. edit. Mutin. 1747. tract. 1. dist. 3. qu. 4. §. 1. num. 41. *Opinio Probabilis generatim illa censetur, quae gravi nititur fundamento, licet non penitus certo, simulque nullam contra se habet rationem convincentem. Ita communior modus loquendi Doctorum.*

Lucius Ferrari v. *Conscientia* num. 68. *Conscientia probabilis seu opinativa est judicium practicum intellectus ex gravi ratione, vel auctoritate adhaerentis uni parti contradictionis determinate, sed cum formidine de opposito; est in re communis.* Et num. 74. *Opinio autem vere probabilis censetur illa, quae gravi suffulta fundamento est consona Sacrae Scripturae, sensui Ecclesiae, et Conciliorum, traditioni Sanctorum Patrum, et doctrinae Theologorum in Ecclesia communiter auctoritatem sortitae. Vnde S. Thomas in opusc. 39. de fallac. cap. 2. sic praecise habet. Probabilia autem dicuntur, quae videntur omnibus, vel pluribus sapientibus, aut omnibus, vel praecipuis, et maxime notis.*

Habes in hac parva serie non pauca, quae incertum tenere possint lectorem de constitutivis essentialibus opinionis probabilis. Et quod praecipuum est, pauci admodum sunt, qui ad statuendam Probabilita-

tem Opinionis pro homine mediocriter perito rationem cum auctoritate consociari expresse requirant. Adde difficultates supra expositas, quas hic refricare forte non inutile erit. Etenim difficulter multis persuaderi potest, quomodo qui opinando judicat aliquam sententiam esse veram, aut verisimiliorem opposita, possit nihilominus etiam oppositam ita verisimilem, et probabilem judicare, ut aestimet virum prudentem illi assentiri posse. Et tamen inter caeteros ita expresse disserit doctissimus Layman Theologus Moralis aut nulli, aut fere nulli secundus. Ipse enim l. 1. tract. 1. cap. 5. §. 2. ita loquitur. *Cum opinio sit animi sententia incerta, et non carens formidine oppositi, fieri potest, ut licet uni parti quaestionis opinative assentiaris, nihilominus alteram contradicentem Probabilem judices: Non dico veram; hoc enim impossibile est, ut intellectus duabus propositionibus contradicentibus directe assentiatur, sive utramque veram judicet. Sed hoc ipso, quod uni quaestionis parti, quamvis opinative, et debiliter assentiatur, Veramque judicet, ejus contradicenti dissentit, falsamque judicat. Cum quo tamen, ut dixi, consistere potest, ut eandem Probabilem censeat. Immo nihil frequentius videre est apud doctores, quam ut sententiam ali-*

quam adductis rationibus, falsitatis arguant, cum interim eandem esse probabilem fateantur. Idem deinde asserit loquendo de Probabiliori. *Si enim tibi pars opposita quaestionis probabilior videatur, seu majora rationum momenta in illam partem perspicias, licet assensum omnem cohibere tunc possis, tamen ex hypotesi, quod alteri parti assentiri velis, necesse est, ut probabiliori assentiaris, alteri autem, quae minus probabilis tibi apparet, assentiri tunc non potes. Si enim minus probabili assentiaris, seu veram judices hoc ipso oppositam falsam aestimas, quod fieri non potest, dum ea tibi probabilior, seu verisimilior apparet, propterea quod intellectus judicativus secundum specificationem non omnino liber sit, sed a rationibus, et motivis propositi objecti determinetur... Sed stante hypothesi, sive in sensu composito, dum inquam una pars contradictionis verisimilior apparet, quam pars opposita, non potest intellectus illi dissentire, et huic assentiri: quia id fieret sine ratione, immo contra rationem.*

In hac igitur opinativi judicii natura et actibus, videtur doctissimus Auctor cum Probabilioristis convenire. Dissentit autem, quum nihilominus putat, posse judicium opinativum determinatum pro una parte judicare eodem tempore, quod adsint etiam pro op-

posita rationes probabiles seu verisimiles, et quidem hujusmodi, ut ad se trahere possint assensum hominis prudentis, et saltem mediocriter docti.

Hoc autem ita intelligendum puto, ut dum ego opinativo judicio uni parti adhaereo, eodem tempore existimem, quod pensatis alterius partis rationibus et auctoritatibus illae tanti ponderis sint, ut alicujus etiam prudentis, et docti hominis assensum ad se pertrahere possent; quae duo quidem judicia non sunt contradictoria, ideoque ab intellectu eodem tempore, et simultanee pronunciari non repugnat, ut supra diximus; quia pro una parte fertur judicium opinativum de veritate, quod quum alicui formidini admixtum sit, non impedit, quin eodem tempore judicium feratur de verisimilitudine partis contradictoriae. Potius repugnare hoc videbitur, si judicium pro veritate unius partis foret absolutum, ac omnino firmum ac certum. Et pariter in altero discordat, quoniam stante etiam necessario assensu intellectus pro ea sententia, quam opinative et speculative judicat veram, aut verisimiliorem, nihilominus affirmat, quemlibet posse et licite, et practice sequi, et amplecti oppositam opinionem sibi cognitam, etsi ut minus verisimi-

lem et minus tutam, determinando se non ex proprio judicio, sed ex judicio aliorum caeteroquin prudentium et doctorum hominum. Assertio I. *Ex duabus Contradicentibus probabilibus opinionibus, quae versantur circa actionem humanam, an ea licita sit nec ne, quisque in praxi, sive operatione sequi potest, quam maluerit, etsi ipsi operanti speculative minus probabilis videatur.* Assertio 2. *Ex duabus ejusmodi Probabilibus partibus quaestionis licitum est, etiam eam sequi, quae minus tuta est, id est minus, quam ejus opposita remota videtur ab omni peccati specie.*

Negabunt autem semper Adversarii accidere posse, ut postquam judicium determinaverim etiam solummodo pro notabiliter majori verisimilitudine unius partis, nihilominus possim judicare eodem tempore, alteram partem rationabiliter, et rigorose probabilem, et verisimilem existere. Hoc quidem, dicunt, accidere potest, quum major verisimilitudo est modici momenti; sed de ea apud discretos Probabilioristas non disceptatur, quia parvus excessus in moralibus non consideratur. At quum verisimilitudo pro una sententia notabiliter major apparet, et quum excessus ad notabilem gradum ascendit, gravitas pro contradictoria ita minuitur, ut in

levitatem evanescat. Et quamvis eam probabilem, scilicet verisimilem judicent etiam aliqui Classici Doctores, nihil mirum et insuetum, etiam Classicos Doctores aliquando in suis opinionibus deceptos fuisse, ideoque eorum auctoritas in conflictu graviorum rationum, et aequalis auctoritatis aliorum Doctorum, quos in nostro opinativo duces, et consiliarios sumpsimus, parum ponderis habere debet. Quod si etiam hoc simultaneum judicium conciliari possit, quum tamen vir prudens veritatem in omnibus rebus non solum quaerere, sed etiam practice sequi teneatur, contendunt, non esse prudentis hominis officium, deserere in praxi opinionem, quam judicat veram, aut magis verisimilem, et amplecti potius eam, quam judicat falsam, aut minus veritati consonam, quia semper supponitur, quod pro veritate, aut majori verisimilitudine unius partis non solus ipse judicet, sed idipsum judicent simul cum ipso aliqui aut plures ex classicis Doctoribus. Non enim esse videtur prudentis viri, repudiare sententiam judicio propriae rationis, et gravi aliorum auctoritate suffultam, et contra judicium directum rationis propriae contradictoriam sequi, quamvis etiam pro ista gravis auctoritas adesse ostendatur. Neque

subsistit, quod Probabiliorismum non sit ad praxim reducibile, aut onus nimis grave et importabile. Non enim insinuatur nisi in casu, in quo non suspensus, et anceps, sed suasus a ratione, et auctoritate judicaverim, quamvis cum aliqua formidine oppositi, unam partem esse veram, aut notabiliter verisimiliorem quam altera. Nam parva probabilitatis praeponderantia in moralibus non attenditur, et pro nihilo reputatur, ut ait Antoine *de Conscien. c.* 4. *qu.* 4. *resp.* 2., ideoque requiritur, ut haec praeponderantia clare, et absque dubitatione post sufficiens examen cognoscatur. Hoc autem non importat neque intellectui, neque voluntati onus nimis grave, et supra vires humanae naturae.

Sed reponent Probabilistae, posse me subiicere meum judicium judicio aliorum, qui apud omnes magno in pretio habentur, et ex reflexo judicio judicare, quod illa major verisimilitudo, quae me ad unam partem inflectit, vana, et apparens sit. Sublata itaque praeponderantia opinionis ex parte mei judicii, remanet auctoritas Doctorum consulenda, qui quum aequalibus, aut ferme aequalibus viribus pro utraque parte disputent, in mea libertate est, ad quam libuerit descendere. Praeterquam quod nemo probare po-

terit, quod, quum veritatem pro neutra parte cum certitudine assequi possim, et incertum sit, pro qua parte sit falsitas, reprehendendus sim, si alterutram amplectar, dummodo sit verisimilis. Ubi enim sufficienter declarata est lex de obligatione sequendi in omnibus id, quod est probabilius?

Haec ego ex utraque parte rursus referre, et conferre volui, ut quisquis videat, quam difficile sit tantas componere lites. Quod etiam difficilius apparebit, si quis non parvam de hoc argumento bibliotecam, quae ex scriptis utriusque partis Doctorum conflari posset, explorare auderet. Hinc concludit Pater Dominicus Turano in brevi suo judicio supra citato: *La questione controversa del Probabile è una delle più difficili, sottili, ed intrigate, che si trattino dalla Teologia e Scolastica, e Morale. Si deve attentamente distinguere la questione diretta dalla riflessa. Si devono penetrare, e comparare molti principii riflessi, e diretti. La stessa questione è dipendente, e complicata con le questioni più considerabili di varie materie teologiche, come* de Prudentia, de Legibus, de Actibus humanis, de Regula honestatis, de Ignorantiis &c. *Da ciò si vede di quanta mole, ed arduità debba essere l'esaminarla a fondo a fine di vedere, se possa condannarsi o nò.*

Ut demum confirmem, quod supra attigi, de incertitudine Opinionis Probabilis aut Probabilioris apud Auctores, et de vera eorum mente, qua sub istis vocabulis latet, dignoscenda, ut exinde in singularibus casibus resolutio depromatur, factum proferam omni admiratione dignum. Pater Carolus Morales Madritensis Clericus Regularis vindicavit a damnatis propositionibus Patrem Antonium Diana Opere in folio, quod continet pag.146., impresso Neapoli anno 1697. typis Felicis Mosca, quod appositum est in calce Tomi dogmatici Operum ipsius Diana, pariter eodem anno, et in eadem typographia impressi. Inter propositiones proscriptas ab Innoc.XI. secunda ita se habet: *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem*. Hanc ante Pontificiam condemnationem ut probabilem docuerat Diana, sicuti ipse Morales fatetur. Sed ipsum defendere aggreditur, non solum ex eo quod propositio illa damnata non fuerat, quando ita scripserat Diana, verum etiam quia ipse Diana contrariam negativam probabiliorem vocaverat. *Ergo*, inquit, *hac ipsius Dianae confessione stante, damnatione ipsa, et his a me adnotatis etiam ex ipso Diana supra pro defensione propositionis trigesimae primae, dicendum potius videtur stare pro sen-*

tentia Pontificia, quam pro affirmativa hodie improbabili. Attende nunc alteram hujus vindicationis a Carolo Morales adductam rationem. *Tum quia*, ait, *et melius, inter celebres, ac classicos Casuistas in moralibus, quando Doctor asserit, Opinionem aliquam esse Probabiliorem, seu veriorem, eo ipso censetur contrariam refellere, approbareque illam, quam Probabiliorem vocat*. Refert deinde articulum *in Clement. uni. de Summ. Trinit. lib.1. tit.1. in fin.*, in quo eligitur opinio de infusione virtutum infantibus in Baptismo uti probabilior, nec ideo approbatur contraria probabilis; post quae concludit. *Ergo, etsi noster Diana celeberrimus inter Casuistas, ut omnes fatentur, vocet opinionem contrariam probabilem, dummodo hanc negativam fatetur probabiliorem esse, dicendum est, hanc tenere hodie, et pro hac stare, non pro contraria, licet tot et tantos haberet patronos pro se, ob quorum auctoritatem potius, quam propter intrinsecam rationem forsitan vocavit eam Diana tantum probabilem*. pag.64. num.4. Sed quorsum haec? Ergo Diana, et caeteri Classici Doctores, quum aliquam opinionem vocant probabilem, et contrariam probabiliorem; hanc approbant, illam refellunt. Non igitur sufficit, quod aliquis Doctor opinionem aliquam probabilem vocet, ut dicatur ipsum eam vere pro-

babilem existimare. Vides, quam sit difficile ex Doctorum auctoritate alicujus opinionis probabilitatem dignoscere, et quomodo sub vocabulis Probabilis, et Probabilioris pene omnia in moralibus tradita sint incerta, et fluctuantia.

Quibus positis dico. Nonne satius esset, ut ad tantas dirimendas lites omnes eandem regulam amplecterentur, quae utpote a Summo Pontifice insinuata tutissima est, et ab utriusque partis sententia si non speculative, certe in praxi, ut judicandum est, non aliena? Quid vult Probabiliorista, nisi ut sequamur probabiliorem opinionem, quam ipse putat a ratione homini prudenti veluti unicam suaderi, et ab auctoritate confirmari, ita ut opposita in conflictu, et eodem tempore judicari nequeat vera, aut verisimilis, et secundum rectam, et prudentem rationem probabilis? Et quid contendit Probabilista, nisi ut pariter in conflictu sequi possimus alterutram opinionem probabilem, nempe eam, quam, ut ait Layman *de Consci. cap.* 5. §. 2. *num.* 6., *non modici momenti ratio alicui confirmat, veritatisque consonam persuadet*! Non possumus autem judicare, quod aliqua sententia alicui, caeteroquin docto, et prudenti, ut veritati consona rationabiliter persua-

sa fuerit, nisi etiam nos suasi simus, quod reipsa veritati consona sit; aliter Confessarius veluti quisque rudis idiota a simplici cujusque privati Doctoris auctoritate se abduci impune sineret.

Quare optandum esset, ut omissis speculativis, et nocivis controversiis, omnes Confessarii eandem regulam amplecterentur a Benedicto XIV. propositam; et in praxi, quum casus difficiliores, novi, et disputationi obnoxii ad eos deferuntur, classicis Doctoribus prius consultis, et rationibus hinc inde expensis, tandem in eam sententiam descenderent, quam ratio suadet, et auctoritas firmat. Quis enim, ut ab initio dixi, reprehensibilis erit aut apud Deum, aut apud homines, si eas partes suscipiat, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelliget? Ad quid aliud in rebus obscuris, et arduis teneri prudentem hominem demostrabitur? Neque opus est, ut in declarando, quid sit rationis suasio, et confirmatio auctoritatis plus quam fecimus immoremur. Intelligunt omnes suasionem rectae rationis in rebus controversis tunc haberi, quum rejectis omnibus animi, et intellectus falsis, ineptis, et injustis praeoccupationibus, ratio juxta regulas ratiocinandi rite adhibitas inducit hominem

prudentem , et saltem mediocriter doctum ad praebendum alicui parti judicii sui assensum , etsi non absit omnis formido de opposito; et pariter hoc judicium auctoritate confirmari, quum in eandem opinionem descendisse videmus aliquos Doctores, qui apud viros sensatos, et doctos pro peritioribus, et classicis habentur, et quos deceptos fuisse in rationibus pro sua opinione adductis non evincitur a classicis Doctoribus oppositae sententiae. Hac methodo servata, et in praxim deducta sive in consiliis, sive in scriptis, tandem ad eam regulam regressus fiet, quam usque ad posteriora saecula prudens antiquitas semper servavit. Etenim, ut optime ait Melchior Canus *de Loc. Theol. l.1. cap. 2.*, omne argumentum vel a ratione, vel ab auctoritate ducitur, et his duobus modis cujusque rei, quae in controversiam venit, assensionem facimus. Quum vero auctoritas cum ratione concurrit, tunc omne argumentum cuicumque prudenti viro satis probatur. Itaque simul eliminabitur illa methodus, quae non infrequenter apud aliquos morales Theologos observatur, ut praetermissis rationibus, simpliciter dicatur : *Hanc sententiam Less. Navar. Dian. vocant probabilem. Layman Escob. Suarez probabiliorem*. Sed pro unaquaque

controversa opinione in medium adducetur ea sententia, quam ratio suadet, et auctoritas firmat, rationibus et auctoritatibus adversis solide repudiatis. Ac revera hoc solum est, quod et scribentis doctrinam praesefert, et legenti commodum praebet, ut aut veritatem invenire, aut saltem ad veritatem propius accedere possit. Neque tamen contendo, quod hujus regulae ope omnia inter Doctores dissidia auferantur. Scio saepius evenire, quod uni ratio suadet, alteri non suadere, et etiam dissuadere interdum. Sed si quisque suadentes rationes in medium proferre, et auctoritate plane confirmare debeat, cautus erit, ne ineptus, et singularis appareat; et si hoc non praestet, facile a legentibus in suis fallaciis et cavillationibus deprehensus tenebitur. Denique quum non omnes scopulos, et syrtes evitare possimus, ea tamen via gubernaculum dirigendum est, quae a syrtibus, et scopulis magis immunis aexistimatur.



DISSERTATIO SECUNDA

De Origine, et Usu Oblationum, Primitiarum, et Decimarum.

De Origine, et Usu Oblationum, Primitiarum, et Decimarum plura a Theologis, et Canonistis scripta, et disputata sunt, ut in eorum voluminibus deprehenditur. Verumtamen, quum cujusque Scriptoris methodus sit ad suorum temporum utilitatem, et praxim, quae scribit, accomodare, in illud maxime suos labores contulerunt, ut Ecclesiasticas leges et consuetudines circa Decimarum obligationem recenserent; pauci illarum veram originem investigantes ea principia, et fundamenta nobis suppeditarunt, quae in quibuscumque circumstantiis ad Fidelium obligationem enodandam lumen adferre possent. Videndum igitur est, unde origo Oblationum, Primitiarum, et Decimarum; cui earum dominium spectet; denique quibus usibus deputentur. Quibus rebus declaratis, obvium erit unicuique, de varia pro diversis circumstantiis Fidelium obligatione sententiam ferre.

Ac primo quidem notum est, quod nomine Decimarum intelligitur decima pars ex fructibus provenientibus ex terra, vel ex animalibus, quae praediales, reales, industriales, vel mixtae Decimae vocari possunt. Suarez *lib.* 1. *de divin. cultu cap.* 9. Etenim de quibus rebus Decimae solvantur, ex Levitici *cap.* 27. eruitur, ubi Decimarum praeceptum a Domino declaratur. *Omnes Decimae terrae, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt, et illi sanctificantur.* v. 30. *Omnium Decimarum bovis, et ovis, et caprae, quae sub pastoris virga transeunt, quicquid decimum venerit, sanctificabitur Domino.* v. 32. Sed Decimarum origo, vel fundamentum ab initio mundi repetendum est, simul cum Primitiarum et Sacrificiorum origine et fundamento. Distinguenda enim est in hac materia Decimarum qualitas a quantitate, sive Decimarum substantia a quota. Et quidem a quantitate, sive a quota Decimae accipiunt, ut Decimae vocentur: sed a jure naturali, et divino fundamentum desumitur, ut Decimae solvantur, non quoad quantitatem, sed quoad substantiam. Immo addo, quod in Lege naturae, etsi Decimae ex praecepto divino positivo non solvebantur, existebat tamen earum radix et fundamentum, et solvebantur Deo non quo-

ad quotam, sed quoad substantiam indistincte, et indivise cum ipsis Sacrificiis. Quare fundamentum et radix Decimarum eadem est, ac radix et fundamentum Sacrificiorum; ideoque si Sacrificiorum fundamentum indicabimus, Decimarum etiam fundamentum inveniemus. Dico igitur, quod debitum Sacrificiorum, et Decimarum fundatum est in debito Oblationum, quas homo ex jure naturali et divino solvere Deo supremo rerum Auctori tenetur. Ratio est, quia nomen oblationis commune est ad omnes res, quae in cultum Dei exhibentur. D. Thomas 2. 2. *qu.* 86. *art.* 1. Haec autem ex dicendis quasi per gradus clarius patebunt, donec ad finem mihi propositum, Deo adjuvante, perveniam.

Statuendum est igitur cum D. Thoma: *Pertinere ad jus naturale, ut homo de rebus suis aliquid Deo exhibeat in ejus honorem*. 2. 2. qu. 86. art. 4. Et ratio est, quia congruum et consentaneum naturali rationi apparet, ut homo per exhibitionem alicujus oblationis Deum recognoscat ut supremum suum auctorem, benefactorem, et finem ultimum; insuper ut providum largitorem eorum fructuum, quos e terra vel animalibus percipit. Praeterquam quod hujus subordinationis, et gratitudinis ostensione, et seipsum homo ad laudan-

dum Deum excitat, et proximis de hoc in Deum officio exemplum praebet, et quasi Deum ipsum ad multiplicanda beneficia in sui favorem provocat. Optime hoc exponit idem D. Thomas 1. 2. *qu.* 102. *art.* 3. ubi ait. *Secundum quod per Sacrificia repraesentabatur ordinatio mentis in Deum, ad quam excitabatur sacrificium offerens. Ad rectam autem ordinationem mentis in Deum pertinet, quod omnia, quae homo habet, recognoscat a Deo, tanquam a primo principio, et ordinet in Deum tanquam in ultimum finem: et hoc repraesentabatur in oblationibus et sacrificiis, secundum quod homo ex rebus suis quasi in recognitionem, quod haberet ea a Deo, in honorem Dei ea offerebat, secundum quod dixit David* 1. Paralip. 29. *Tua sunt omnia, et quod de manu tua accepimus, dedimus tibi; et ideo in oblatione sacrificiorum protestabatur homo, quod Deus esset primum principium creationis rerum, et ultimus finis, ad quem essent omnia referenda.* Igitur dicendum est, quod in oblationum actione est proportio secundum communem aestimationem ad significandum animum subjectum et gratum Deo, et recte de illius excellentia et providentia sentientem, et ab eo munera sperantem, et ad alios in ejus laudem provocandos intentum; ideoque hujus-

modi actio talis naturae est, ut si quis ab ea omnimode abstineret, animi in Deum ingrati, et inobsequentis esse argueretur; quod sufficit, ut dicatur, exhibitionem Deo faciendam ab homine de rebus suis pertinere in communi ad jus naturale; S. Thom. 2. 2. *qu.* 85. *art.* 1. *ad* 1., vel saltem esse illi summopere consentaneum. Suarez *lib.* 1. *de divin. cultu c.* 3. *num.* 3. *et* 4.

Insuper notandum est, quod nomine oblationis veniunt etiam ipsa sacrificia, quae Deo exhibentur, ita ut si aliquid exhibeatur in cultum divinum, quasi in aliquod sacrum, quod inde fieri debeat, et consumendum sit, et oblatio vocetur et sacrificium. D. Thom. 2. 2. *qu.* 86. *art.* 1. Unde Exodi 29. 18. dicitur. *Offeres totum arietem in incensum super altare: oblatio est Domino, odor suavissimus victimae Domini*: et Levit. 2. 1. *Anima, cum obtulerit oblationem sacrificii Domino, simila erit ejus oblatio*. Item art. 3. ad tert. *Sacrificia proprie dicuntur, quando circa res oblatas aliquid fit, scilicet quod animalia occidebantur et comburebantur, quod panis frangitur, et comeditur, et benedicitur: et hoc ipsum nomen sonat. Oblatio autem dicitur directe, cum Deo aliquid offertur, etiam si nihil circa ipsum fiat. Unde omne sacrificium est oblatio, sed non convertitur*. Et Suarez *de divin. cultu l.* 1. *cap.* 3. *num.* 1. Ex quibus patet, quod

Decimae, Primitiae, et Sacrificia sunt Oblationes factae Deo in recognitionem ejus supremi dominii, et in officium gratitudinis, obsequii, et impetrationis; ideoque et Decimae et Primitiae et Sacrificia ex eodem principio et radice oriuntur.

Jam vero in lege naturae omnes oblationes ordinarie erant Sacrificia, quia nullus alius erat usus, ad quem deputarentur, nisi ad consumationem in cultum divinum, quum neque pauperes erant, neque Sacerdotes, qui egerent stipendio, et ipsi familiarum primogeniti et Sacerdotes essent, et sacrificarent. Cornel. a Lapide *in c. 7. ad Hebrae. v. 4.* Ad Sacrificia autem ex tunc deputabantur terrae fructus, et animalia, et eorum primitiae, quae postea in lege Moysis etiam in alios usus conversae sunt. Patet hoc ex oblationibus, quas Deo exhibebant Cain et Abel, et quae secundum communem sententiam sacrificia fuere. Abel enim, cum esset Pastor ovium, obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum. Et quia de primitiis et melioribus gregis sui sacrificabat, respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus. Cain vero, cum esset agricola, offerebat de fructibus terrae munera Domino. Sed quia Cain primos et meliores fructus sibi reservabat, et de secundis et vilioribus offerebat,

ideo factum est, quod Dominus ad Cain, et ad munera ejus non respexit. Gen. 4. *Cain*, ait S. Ambrosius, *obtulit a fructibus terrae, non a primis fructibus primitias Deo. Hoc est primitias sibi prius vendicare, Deo autem sequentia deferre*. De Cain et Abel *lib.* 1. *cap.* 7. *et* 10. Et licet de Adam simile quid non legatur, versimilimum tamen est, filios a patris doctrina et exemplo id didicisse. Noe etiam statim post diluvium in gratiarum actionem *aedificavit Altare Domino: et tollens de cunctis pecoribus, et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare*. Meliora igitur etiam Noe Domino sacrificavit; ideoque subjungitur, quod *odoratus est Dominus odorem suavitatis, et ait: Nequaquam ultra maledicam terrae propter homines*. Gen. 8. Abraam pariter saepius Deo altare erexisse, ut illi sacrificaret, legimus in libro Genesis. *Gen. cap.* 12. *v.* 7. *et* 8. *cap.* 13. *v.* 18. Quum autem deinde Abraam, caesis Babyloniis, ab eorum manibus Lot filium fratris sui eripuisset, occurrit ei *Melchisedech Rex Salem, proferens panem et vinum; erat enim Sacerdos Dei Altissimi, benedixit ei, et ait: Benedictus Abraam Deo excelso, qui creavit caelum et terram: et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei Decimas ex omnibus*. Gen.

14. scilicet Abraam Decimas dedit Melchisedecho, ut patet *ad Hebr.* 7. *v.* 4. Ubi notandum est, quum Abraam a Melchisedecho sibi in memoriam reduci audiret, quod ex singulari Dei protectione hostes suos prostraverat, tunc excitatus est ad offerendum Deo in gratiarum actionem unum de decem ex spoliis, quibus ditatus a Deo fuerat, atque has Decimas dedit Melchisedecho, qui erat Sacerdos Dei Altissimi. Arbitratus enim est, quod Deo offerret, et Deus acceptaret id, quod ejus Sacerdoti dabat. Aliter Sacrificium juxta morem Deo obtulisset, quod tunc fecisse hic non legitur. Ecce igitur, quod etiam in conceptu Abraae, et ex naturali dictamine, fuerunt Decimae oblationes factae Deo, non minus ac Sacrificia. Quare ait S.Ambrosius in hunc locum. *Qui vincit, non debet arrogare sibi victoriam, sed deferre Deo. Hoc Abraam docet, qui triumpho humilior factus est, non superbior: Sacrificium denique obtulit, decimas dedit*, quia scilicet Abraam patriarcha dando Decimas Melchisedecho, qui erat Typus Christi, idem facere intendit, ac si Deo sacrificium offerret, ideoque ait Apostolus ad Hebrae. 7. 4. *Intuemini autem, quantus sit hic, cui et Decimas dedit de Praecipuis Abraham Patriarcha*. Praecipua autem ad Dei cultum per-

tinebant, ut vidimus, et Deo sacrificando offerebantur. Quare ait Crisostomus in Gen. hom. 35. num. 5. *Considerate autem, quantus ille, cui Decimas Abraam Patriarcha dedit de Primitiis, videlicet ex spoliis, quae adduxit, remuneratus est Melchisedecem, et Decimas ei segregavit de omnibus, ut gratum declarantes animum, primitias eorum, quae sibi a Deo conceduntur, offerant*. Ecce igitur, quod Abraam Decimas Deo obtulit in manu Melchisedechi ejus Sacerdotis. Non enim Melchisedecho, sed Deo grati animi debitor erat Abraam. Revera Jacob Deo ipsi Decimas se oblaturum promisit. *Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via, per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum; reversusque fuero prospere ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei: cunctorumque, quae dederis mihi, Decimas offeram tibi*. *Gen.* 28. Et quidem Jacob, ut votum adimpleret, decimas in Sacrificium Deo consumpturus erat super altare, quum non appareat, ad quem diversum usum tunc temporis decimas in Dei honorem deputare posset. *S. Thom.* 2. 2. *qu.* 87. *art.* 1. *ad* 3.

Vides igitur, quod Oblatio est genus, Sacrificia autem, Decimae, et Primitiae sunt diversae species Oblationis. Verumtamen ob-

servandum occurrit, quod Sacrificium est Oblatio potissima, et dignissima, et a vulgari oblatione ideo differt, quod in Sacrificio realis quaedam immutatio seu destructio rei oblatae intercedit; vulgaris autem oblatio simplicem rei largitionem refert, et exprimit. Juvat autem repetere, quod in lege naturae ea omnia, quae Deo donabantur, per sacrificia immutabantur, et destruebantur, quia non erat alius modus ostendendi, quod hujusmodi res offerebantur Deo, neque Deus ad aliquem specialem usum ea, quae sibi ab hominibus donabantur, deputaverat; atque etiam Deus ipse sensibilibus signis illam donatarum rerum destructionem sibi gratam esse ostendebat. Immo quum dicat Apostolus *ad Hebrae.* 11., *quod Fide plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit Deo*; certum esse debet, nonnisi revelante, et per interiorem afflatum praecipiente Numine, id praestitisse. Et naturali lege ductos fecisse testatur Chrysost. *hom.* 18. *in Genes.* et Cassian. *Collat.* 8. *cap.* 23. Suarez *l.* 1. *de divin. cultu c.* 3. *num.* 4. ubi ait, et probat, etiam apud gentes sacrificia in usu fuisse. Praeterea nulla tunc erat Sacrificiorum, sive oblationum assignata quantitas, sed quisque pro suo libitu et devotione offerebat, quamvis circa qualitatem de praecipuis, et pinguissi-

mis offerre pii homines in more haberent. Tandem concludendum est, quod in lege naturae fundamentum oblationum fuit debitum recognitionis supremi Dei dominii, et ostensionis grati animi propter terrae fructus ab eo acceptos; pariter quod hujusmodi oblationes in Dei dominium cedebant; denique quod oblationes ad usum Sacrificiorum tunc temporis ferme unice deputabantur.

Legem naturae subintravit lex scripta, in qua genus oblationum immutatum non est, sed a Deo ipso oblationes imperatae sunt quoad qualitatem, et quotam, et ad alios usus etiam assignatae praeter Sacrificia. Quamvis enim Sacrificium per se ex natura sua supremum Dei dominatum magis significet, quam alia quaecumque res diversimode oblata, quia cum res perimitur, eripitur usibus humanis, et perfectius videtur tota in honorem Dei cedere, et significare omnia ab ipso pendere, et ipsum vitae necisque arbitrum esse; nihilominus ejus supremi dominii significationi non officit, immo potius illud amplius declaratur, si ipse Deus imperet homini, ut quae sibi oblata sunt, et sua fiunt, in usus a se praescriptos distribuat. Hoc enim absolute jubere, et non attendere deliberationem subditi, est actus verae ac supremae

dominationis. Praecepit igitur populo Hebraico Deus per Moysen, de quibus rebus sibi oblationes fierent, et earundem rerum quantitatem, et simul earum usum destinavit, ut alia immediate in honorem proprium per sacrificia destruerentur, alia vero cederent in usum Sacerdotum, et Levitarum, quos ad cultus et altaris sui ministerium constituerat. Sicut Princeps supremus vectigalia, et tributa praedialia suis subditis imponendo, alia ad sui ipsius personae usum reservat, alia vero in militum et ministrorum mercedem assignat. Et sicuti quae immediate Magistratibus Principis ex ejus mandato solvuntur, mediate solvuntur ipsi Principi, et ad ejus dominium proprie referuntur et spectant, ita omnia, quae in lege veteri immediate in usum Sacerdotum cedebant, erant tamen tributa a Deo praescripta, Deo debita, et illi in suis Sacerdotibus persoluta. Hoc autem manifeste patebit per singula capita discurrendo, scilicet per Sacrificia, Primitias, et Decimas; quae erant ut ita dicam tributa praedialia a Domino per Moysen Hebraeis imposita.

Et primo quod spectat ad Sacrificia, superfluum esset demonstrare, quoniam haec erant oblationes immediate Deo exhibitae; hoc enim satis et a nomine, et ab essentia

ipsius Sacrificii declaratur. Sed potius observandum est, quomodo Deus ipse de aliquibus ad Sacrificia deputatis partem sibi reservaverit, partem in usum Sacerdotum, et etiam ipsorum offerentium designaverit. Talis erat Hostia pacifica; quae non ex praecepto, sed vel ex voto, vel sponte offerebatur, pro pace idest salute, incolumitate, et prosperitate vel jam obtenta, vel obtinenda. Hoc erat aliquod animal ex bobus, vel ovibus, vel capris; quod quidem animal gladio jugulabatur, et cujus una pars igne exurebatur, altera cedebat in usum et cibum Sacerdotis, tertia relinquebatur in escam ejus, qui offerebat. *Levit. cap.* 3. *et* 7. In Hostia vero pro peccato pars cedebat Deo, pars Sacerdoti, nihil offerenti. *Levit. cap.* 7. *v.* 6. In Holocausto totum comburebatur Deo, et nihil aliud Sacrificanti rependebatur, nisi pellis. *Levit. cap.* 7. *v.* 8. *Sacerdos, qui offert holocausti victimam, habebit pellem ejus*. Sed notandum est, quibus verbis illud Levitici caput septimum concludatur. *Ista est lex holocausti, et sacrificii pro peccato, atque delicto, et pro consecratione, et pacificorum victimis: quam constituit Dominus Moysi in Monte Sinai, quando mandavit filiis Israel, ut offerrent Oblationes suas Domino in deserto Sinai*. Ecce quo-

modo sub genere Oblationum recensentur Sacrificia, et quomodo Deus partem Sacrificiorum sibi reservaverit per legem, partem Sacerdotibus cesserit; ex quo certe non fiebat, ut Sacrificiorum oblationes propriae Dei non essent.

Primitias vero sibi offerri Dominus praeceperat, sed earum usum ad Sacerdotes deputaverat. Soli enim Sacerdotes et Pontifex, non autem Levitae proprie dicti accipiebant primitias, et primogenita a filiis Israel. Porro Primitiae solvebantur ter in anno, ut notant Lyranus, et alii. Primo in Paschate de novis spicis. Secundo in Pentecoste de novis panibus. Tertio in Septembri in festo Tabernaculorum de novis fructibus. De primitiis spicarum extat praeceptum *Levit.* 23. 16. Quod autem Domino offerrentur, indicatur manifeste et ibi, et *Levit.* 2. 14., ubi dicitur. *Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis igni, et confringes in morem farris, et sic offeres primitias tuas Domino fundens super oleum, et thus imponens, quia Oblatio Domini est*. De primitiis panum dicitur *Levit.* 23. 15. *Offeretis ex omnibus habitaculis vestris panes primitiarum duos de duabus decimis similae fermentatae, quos coquetis in primitias Domi-*

ni. Et Num. 15. 18. *Separabitis primitias Domino de cibis vestris, sicut de areis primitias separatis, ita et de pulmentis dabitis primitiva Domino*. Denique de primitiis novorum fructuum dicitur *Deuter*. 26. 2. *Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, et pones in cartallo, pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus ... suscipiensque Sacerdos cartallum de manu tua, ponet ante altare Domini Dei tui*; scilicet ut per hanc caeremoniam Deo ipsi offerrentur. Porro, quod has primitias Deus cesserit Sacerdotibus, distincte describitur. *Num*. 18. 8. *Locutusque est Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi custodiam Primitiarum mearum. Omnia quae sanctificantur a filiis Israel, tradidi tibi, et filiis tuis, pro officio Sacerdotali legitima sempiterna ... Omnem medullam olei, et vini, ac frumenti, quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi. Universa frugum initia, quas gignit humus, et Domino deportantur, cedent in usus tuos ... Omnes primitias Sanctuarii, quas offerunt filii Israel Domino, tibi dedi, et filiis ac filiabus tuis jure perpetuo*. Immo etiam primogenita Sacerdoti assignaverat Dominus. *Ibi v*. 15. *Quidquid primum erumpit e vulva cunctae carnis, quam offerunt Domino, sive ex hominibus, sive de*

pecoribus fuerit, tui juris erit. Haec autem in Sacerdotes deputaverat Dominus iis conditionibus, et dispensationibus, quae ibidem subjunguntur, et quas referre mei propositi non est. Ex his autem satis superque constat, cui deberentur, et solverentur primitiae a populo Israel, et in quos usus a Domino ipso fuerint assignatae.

Reliquum est idem videre de Decimis. Et quidem quod decimas fructuum, pecorum, et jumentorum praeceperit Dominus sibi offerri a filiis Israel, extra omne dubium positum est. Ait enim Dominus *Levit.* 27. 30. *Omnes Decimae terrae, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt, et illi sanctificantur... Omnium Decimarum bovis, et ovis, et caprae, quae sub pastoris virga transeunt, quiquid decimum venerit, sanctificabitur Domino*. Eas autem idem Dominus assignaverat Levitis, ut pretium sive stipendium pro ministerio, quo serviebant in tabernaculo testimonii. *Num.* 18. 21. *Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio, quo serviunt mihi in tabernaculo foederis. Et v.* 31. *Comedetis eas in omnibus locis vestris, tam vos quam familiae vestrae: quia pretium est pro ministerio, quo servitis in tabernaculo testimonii*. Ex quibus auctori-

tatibus patet, quod Decimae erant oblationes Deo faciendae ex praecepto; Deus autem, ut earum Dominus, assignaverat ad Levitarum sustentationem. Unde eruitur, quod Levitae non essent mercenarii, aut stipendiarii filiorum Israel, sed essent ipsius Dei stipendiarii pro ministerio in ejus cultum exhibendo. Itaque filii Israel non solvendo Decimas committebant peccatum inobedientiae contra Dei Legem positivam, et praeterea peccatum injustitiae in Levitas, qui ad Decimas ex Dei ordinatione jus acquisierant. Istae vero Decimae quotannis Judaeis praescriptae non deferebantur in Jerusalem, sed Levitae, ad quos illae pertinebant, colligebant eas per civitates sibi vicinas. *Corn. a Lapid. in c.* 14. *v.* 22. *Deuter.* Ex hisce decimis Levitae rursum Decimam pendebant Pontifici, et Sacerdotibus, ut patet. *Num.*18. 26. *Praecipe Levitis atque denuntia: Cum acceperitis a filiis Israel Decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, et date Aaron Sacerdoti. Omnia, quae offeretis ex decimis, et in Donaria Domini separabitis, optima, et electa erunt.* Ecce rursus Decimarum oblatio vocatur *Donarium Domini*, quamvis Aaron sacerdos earum usum haberet.

Praeter has decimas quotannis Hebraei

separabant, post primam illam decimationem, ex novem residuis partibus aliam decimam, ut ex ea euntes ad tabernaculum partim in itinere viverent, partim offerrent hostias pacificas, de quibus comederent coram Domino, una cum Levitis, quos ad epulandum secum invitabant. *Deuter.* 14. 22. *Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis, qui nascuntur in terra per annos singulos, et comedes in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit, ut in eo nomen illius invocetur &c.* De his etiam mentio fit *Deuter.* 12. 17.

Erant denique tertiae Decimae, quae singulis trienniis separabantur, et dabantur pauperibus, viduis, pupillis, et Levitis in modum eleemosynae. *Deuter.* 14. 28. *Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quae nascuntur tibi eo tempore, et repones intra januas tuas. Venietque Levites, qui aliam non habet partem, nec possessionem tecum, et peregrinus, ac pupillus, et vidua, qui intra portas tuas sunt, et comedent, et saturabuntur, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus.* Idem repetitur *Deuter.* 26. 12. Hinc de Tobia dicitur *cap.* 1. *v.* 7., quod *in anno tertio proselytis et advenis ministraret omnem decimationem.*

Neque vero, cum audis, quod Levitae non haberent partem, nec possessionem cum

Israel, sic intelligas, quasi omni possessione destituti fuissent. Assignaverat enim illis Dominus quadraginta octo urbes cum suburbanis suis ad pastum jumentorum. *Num.* 35. 2. *Praecipite filiis Israel, ut dent Levitis de possessionibus suis urbes ad habitandum, et suburbana earum per circuitum . . . id est simul quadraginta octo cum suburbanis suis*. Sed explicandum est, quod Levitae non habebant in divisione terrae promissionis portionem, sicut caeterae tribus, neque agros, vineas, et prata praeter illa suburbana. Ex dictis colliges, quod praeceptum offerendi Deo aliquid ex terrae fructibus est naturale et morale quoad substantiam, positivum, et judiciale, et etiam caeremoniale quoad quantitatem, et usum. Quod autem est naturale et morale perseverare semper debet; sed quod erat positivum et judiciale per se cessabat in nova lege gratiae; et tamen ad ejus observantiam obligari poterant Fideles, si statueretur auctoritate eorum, quorum est condere legem Ecclesiasticam. Caeremonialia autem omnino cessabant; haec enim illicitum est servare tempore novae legis: S. Thom. 2. 2. *qu.* 87. *art.* 1. et Cajet. *in dict. art.* Igitur etiam in nova lege oblationes Domino de fructibus terrae perseverare debebant; determinatio au-

tem certae partis, et assignatio ejus usus reservabatur ordinationi Ecclesiae.

Jam vero repetendum est, quod oblationes dividebantur in sacrificia, primitias, et decimas. Sacrificia legalia pertinebant ad ceraemoniale legis; ideoque quum sacrificia legalia abolita essent in lege gratiae, oblationes non poterant amplius destinari in sacrificiorum usum, nisi ex illa qualitate et quantitate, quae ad materiam Sacramenti et Sacrificii Altaris inservire poterat. Primitiae pertinebant partim ad morale fundatum in lege naturali, ut vidimus ab initio mundi servatum fuisse; partim ad caeremoniale, quia ex primogenitis pecorum aliqua deputata erant in sacrificium Domino. *Num.* 18. 17. Sic etiam aliqua de primitiis. *Lev.*2. 16., et partim denique ad judiciale, quia earum usum maxima ex parte Sacerdotibus Deus ipse assignaverat. At decimae ad morale quoad substantiam, ad judiciale vero quoad quantitatem, et usum spectabant, quia eas Levitis Dominus deputaverat pro stipendio in ministerio altaris. Dicendum igitur, quod in genere Oblationes Deo faciendae etiam in lege gratiae perseverare debebant, sed quoad qualitatem, quantitatem, et usum, erant determinandae ab Ecclesiā. Nunc autem demonstrandum superest, quo-

modo Ecclesia oblationum objectum non immutando, quod est Deus, et Dei cultus, materiae qualitatem, quantitatem, et usum, pro auctoritate sibi a Deo attributa, assignaverit. Quare ostendam, quomodo etiam in nova lege oblationes ex intentione Fidelium, et Ecclesiae auctoritate, non sacerdotibus, sed Deo ipsi fiant, et faciendae sint; earum autem determinatio ab Ecclesiae judicio pendeat, et semper processerit.

Ac revera Ecclesiae formam Christus Dominus adhuc in mortali carne vivens pro futuris temporibus descripsit. Ipsi autem principaliter offerebantur eleemosinae, quae in collegii Apostolici sustentationem cedebant, et Iudas ejus minister, ut ita dicam, in temporalibus loculos habens ea, quae mittebantur, portabat. *Ioan.* 12. 6. *Ipse Dominus,* ait Beda *in Luc.* 12., *cui ministrabant Angeli, tamen ad informandam Ecclesiam suam loculos habuisse legitur, et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, aliisque indigentibus tribuens*. Pariter August. *tract.* 62. *in Ioan. num.* 5. *Habebat ergo et Dominus loculos, et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, et aliis indigentibus tribuebat*.

Christus autem e terris decedens reliquit Ecclesiae suae potestatem ordinandi ea, quae

ad Fidelium disciplinam, et officia necessaria essent, et eidem non solum ad stabilitatem, sed etiam ad directionem, adsistentiae suae praesentiam promisit usque ad consumationem saeculi. Igitur et caeremoniales, et judiciales constitutiones Ecclesia semper pro auctoritate sibi a Christo Domino impertita ordinavit, et eas pro temporum et locorum circumstantiis temperavit. In materia vero Oblationum, de quibus agimus, moralem et naturalem obligationem retinendo, earum quantitatem et usum providentia sua semper direxit. Etenim ratio oblationis, ut sic, non est legalis, sed moralis, sicut ratio Templi, Sacerdotii, et similium; et ideo non cessarunt per ablationem veteris legis, sed in sua morali, et quasi connaturali ratione permanserunt, et possunt per novam legem positivam praecipi. Suarez *lib. citat. c.* 4. *num.* 9. Quare quum immediate post Christi Domini Ascensionem Fideles in commune suas substantias ad Apostolorum pedes deferrent, opus non erat, ut ipsis quotam Ecclesia praescriberet, sed tantum de oblationum usu disponeret. Et quia legalia Sacrificia de materialibus rebus cessaverant, quoniam eis praestantius Sacrificium Corporis, et Sanguinis Domini substitutum fuerat, ea, quae offerebantur, in Ministrorum sustentationem, pauperum,

viduarum, et orphanorum inopiam sublevandam destinavit. Et quod illa oblatio pecuniae de venditis praediis fuerit facta Deo, deprehenditur ex delicto Ananiae, de quo dicitur, quod *vendidit agrum, et fraudavit de pretio agri*. *Act. c.* 5. Fraus enim non fit in re propria, sed aliena, quum res vendita, vel promissa surripitur, aut ex parte retinetur. Unde S. Augustinus *serm.* 27. *de verbis Apostoli*: *Dum ex eo, quod promiserat, partem subtraxit, sacrilegii damnatur, et fraudis. Sacrilegii, quod Deum in pollicitatione fefellerit; fraudis, quod integris muneribus portionem quamdam putaverit subtrahendam*. Inde instavit ei Petrus, et dixit: *Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo*. Ergo Deo voverat, et promiserat. Ille enim dicitur mentiri Deo, et Spiritui Sancto, qui id, quod ei promisit, et vovit, non servat. Ita sentiunt plurimi ex Patribus, quos videre est apud Cornelium a Lapide in hunc locum.

Quantae autem fuerint tunc temporis hujusmodi oblationes, testis est Paulus Sarpi in *tractatu de materia Beneficiali*, praesertim *num.* 3. ubi ait: *Nella Città di Roma, dove le ricchezze erano ampissime, anche le offerte erano così abbondanti, che intorno all'anno* 150. *non solo bastavano a sostenere i Chierici, e poveri Cris-*

tiani di quella Città, ma ancora a somministrare abbondantemente alle altre Chiese non solo vicine, ma anche lontane, dando da vivere in diverse provincie a Cristiani condannati a cavar metalli, e a prigioni, e altri miserabili Cristiani, e per mostrare l' abbondanza delle Oblazioni, dirò solo questo, che Marcione circa il 170. *fece oblazione nella Chiesa Romana in una volta di* 5000. *dramme d' oro*. Illustrat deinde exemplo thesaurorum Ecclesiae, quos S. Laurentius in sinus pauperum reconditerat, et persecutionum, quae post Comodum a gentilibus excitatae fuerunt, ut Ecclesiae Christianae bonis potirentur.

Neque in iis Christianae Religionis exordiis praedia offerre Deo, aut eorum fructus opportunum fuisset, quum exagitati Fideles a Iudaeis, et Gentilibus, a publica sui cultus professione in aliquibus abstinere cogerentur, et haec sine aliqua notorietate peragi nequirent. Praeterquamquod subveniendum erat ex oblationibus inopiae viduarum, pupillorum, et pauperum, in quos pecuniam erogare facilius erat, et ab inimicorum cognitione magis remotum, quam tritici, olei, et aliorum terrae fructuum distributio non fuisset. At vero ubicumque Christiani securius congregari potuerunt, et suos conventus peragere, statim

Oblationum, Primitiarum, et Decimarum specimen nobis ostenditur. Et quamvis, ut ab initio diximus, Oblatio sit genus, Primitiae, et Decimae Oblationis sint species, tamen primaevis illis temporibus obtinuit usus, ut Oblationes vocarentur, quae ad Altare a Fidelibus deferebantur. Ex istis autem oblationibus pars in Sacrificii materiam adsumebantur, pars in usus ministrorum, et pauperum cedebat. Mabillon. *dissert. de Oblation.* Hinc S. Cyprianus *ep.* 64. deplorat caecitatem eorum Episcoporum, qui se prophanis Sacrificiis implicaverant, et deinde sacerdotium Dei sibi rursus vindicare, et manum transferre ad Dei Sacrificium non verebantur, et addit rationem, ex qua hujusmodi apostatae ad sacrificium altaris inhiabant: *Stipes, et oblationes, et lucra desiderant, quibus prius insatiabiles incubabant.* Idem Cyprianus in libro *de Opere et Eleemosynis* acriter castigat divites matronas, quae egentes et pauperes misericorditer non respiciebant, et addit: *Locuples et dives es, et Dominicum celebrare te credis, quae corban omn no non respicis, quae in Dominicum sine sacrificio venis, quae partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis .... Cumque universa, quae dantur, pupillis et viduis conferantur, dat illa, quam oportebat accipere, ut sciamus, quae poena sterilem divitem maneat,*

quando hoc ipso documento operari etiam pauperes debeant. Atque ut intelligamus haec opera Deo dari, et eum, quisquis haec faciat, Dominum promereri, Christus illud Dei dona appellat, et in dona Dei viduam duos quadrantes misisse significat. Quod autem istae eleemosynae praeberentur a divitibus in Ecclesia, veluti oblationes Deo factae, et pauperibus distribuendae, patet, ubi deinde subjungit. *Tuos tales munerarios, Christe, demonstra divites illos, copiosis rebus affluentes, an in Ecclesia Praesidente, et spectante Te, ejusmodi munus edant, oppignoratis vel distractis rebus suis, immo ad caelestes thesauros mutata in melius possessione translatis*.

Canones, qui dicuntur Apostolici, nos edocent, de quibus rebus fieri soleret a Fidelibus oblatio in Ecclesia ante altare. Praeter enim id, quod ex ordinatione Domini necessarium erat ad Sacrificium, scilicet panem, et vinum, dicitur *canon.* 4. *quod offerre non liceat aliquid ad Altare praeter novas spicas, et uvas, et oleum ad luminaria, et thimiama, idest incensum, tempore quo sancta celebratur oblatio*. Pecunia vero non videtur verisimile, quod ante Altare offerreretur; sed in singulis Ecclesiis exposita erat Arca, quam Baronius ad an. 44. num. 69. *Gazophilacium*

appellat, in quam pecuniae a Fidelibus inferebantur, ut colligitur ex Cypriano mox adducto, ex Tertulliano *apol. cap.* 39., ex Justino *apolog.* 1. *num.* 67. Eumdem morem deponendi pecuniam in gazophilacio commemorant Augustinus *serm.* 356. *num.* 13., et Paulinus *ep.* 34., quorum proinde testimonio constat, labente saeculo quarto, et decurrente quinto, illum perseverasse. Sanctus Irenaeus de iisdem oblationibus mentionem faciens declarat, quod in nova lege reprobatae non fuissent, et satis clare innuit, quod Domino etiam tunc offerebantur. *l.* 4. *cap.* 34. *Non genus oblationum reprobatum est: oblationes enim et illic, oblationes autem et hic, sacrificia et in Ecclesia, sed species immutata est tantum, quippe cum non a servis, sed a liberis offeratur. Unus enim, et idem Dominus.* Qui plura de oblationibus primorum temporum scire desiderat, adeat Tomassinum *de Beneficiis part.* 3. *lib.* 1., Benedictum XIV. *de Sacrific. Missae lib.* 3. *cap.* 21. et Cardin. de Petra *Comment. tom.*2. *in Constit.* 1. *Anast. IV. num.* 6. *et sequ.*, et Christ. Lupum *in Concil. Roman. sub Nicolao II. c.*5. *Oper. tom.*5., apud quos aliorum auctorum testimonia inveniet. Interea unusquique satis animadvertet, quod quae ad Altare offerebantur, et in gazophi-

lacium dimittebantur a Fidelibus, erant oblatio ab ipsis Deo facta, et tradita dispensationi ejus ministrorum eodem modo, quoad substantiam, ac in veteri lege statutum fuerat. Jam vero longiore sermone percurrenda est antiquitas circa praeceptum, et usum primitiarum, et decimarum.

Canones Apostolorum, quamvis ab Apostolis ipsis conditi non fuerint, sunt tamen valde antiqui, et etiam critici, cum Albaspinaeo, Cabassutio, Severinio Binio etc., collectos fuisse ex pluribus Conciliis ante Nicaenam Synodum celebratis a viris Apostolorum aetatis supparibus agnoscunt, ita ut ex Apostolica traditione ad nos dimanasse quoad primos quinquaginta plures eruditi opinentur. Inter eos *can.5.* dicitur. *Reliqua poma omnia ad domum primitiae episcopo, et presbyteris dirigantur, non offerantur in altari. Certum est autem, quod episcopus et presbyteri dividant et diaconis, et reliquis clericis.* Ecce igitur primitiarum usus jam tum in Ecclesia, quae in Ministrorum alimoniam cedebant, sed de quibus hic non adducitur expressum praeceptum. Neque tamen arguendum est, quod hujusmodi oblationes Deo factae non essent, quia in domum episcopi inferebantur; nam etiam apud Hebraeos

Levitae colligebant, et in suas domos deportabant Decimas, quas sui juris esse Dominus ipse asseruerat. Luculentius loquuntur Constitutiones Apostolicae, de quarum auctore etsi non constet, atque adhuc sub judice lis sit, nemo tamen sanae mentis, opus esse antiquissimum, unquam negaverit. Vide *Concil. Mansi tom.*1. *col.*253. *et seq.* Ibi itaque *lib.*2. *cap.*25. manifeste indicitur. *Quae secundum Dei mandatum tribuuntur, Decimas dico, et Primitias, insumat Episcopus, ut homo Dei; quae causa pauperum sponte offeruntur, distribuat decenter in pupillos, in viduas, in afflictos, et calamitosos, et in hospites egentes, tanquam qui Deum habeat harum rerum ratiocinatorem, quarum procurationem ei commiserit. Impartite igitur, episcopi, cum justitia omnibus egentibus; et vos utimini ex parte Bonis Domini, sed non abutimini*. Deinde sub finem. *Portiones, decimae, primitiae Christo Pontifici, et Ministris ejus: decimae salutaris principium nominis Jesu... Quae antea Sacrificia, nunc precationes, et obsecrationes, et Eucharistiae; quae tunc Primitiae, et Decimae, et portiones, ac dona, nunc Oblationes, quae per sanctos Episcopos offeruntur Domino Deo per Christum, qui pro omnibus mortuus est*. Ex his patet, quod ea, quae Ecclesiae daban-

K 3

tur a Fidelibus, computabantur inter Bona Dei, atque ut oblationes factae Deo per Christum, et quod sacrificiis antiquis Eucharistia successerat; primitiae autem et decimae inter oblationes computabantur, quamvis de iis extitisse praeceptum videatur, ut arguitur ex initio capitis hujus, et ex capite 30. *lib.* 8., ubi dicitur. *Idem ipse* (Matthaeus) *de primitiis, et decimis constituo, ut omnes primitiae offerantur episcopo, et presbyteris, ac diaconis ad eos alendos: omnis vero decima offeratur ad alendos reliquos clericos, et virgines, ac viduas, et pauperes: primitiae enim Sacerdotum sunt, et diaconorum, qui sacerdotibus ministrant*. Ita etiam *lib.*2. *cap.* 35. *Sic ergo facies tu, ut Dominus sanxit, dabisque Sacerdoti, quae ei debentur, primitias areae, et torcularis, et oblata pro peccatis ut mediatori Dei; et pro emundatione, et depulsione mali*. Existimo tamen cum Cotelerio in Adnotationibus ad hoc caput Constitutionum, quod ibi loquatur de praecepto naturali, non vero de praecepto positivo veteris legis, nisi quatenus praecepto naturali consonum erat. Unde fieri poterat, ut Decimae et Primitiae vocarentur simul praeceptae, et simul oblationes, et largitiones, quia scilicet, ut ab initio diximus, praeceptae erant quoad sub-

stantiam etiam in lege naturae, largitiones autem, et dona oblationes erant quoad quotam, quae cum non esset determinata, suscipiebat plus et minus ex magis aut minus liberali et grato animo offerentium. Hinc in eodem capite 35. *lib.* 2. subjungitur statim post verba a me relata: *Tibi enim convenit, ut largiaris, illi vero tamquam aeconomo, et administratori rerum Ecclesiasticarum, ut dispenset.* Ecce quod oblatio primitiarum, et decimarum vocatur largitio. Et ita factum esse existimo, donec Ecclesia, aut ipsa inveterata consuetudo praeceptum de quota determinata induxerit.

Origenes, qui tertio saeculo florebat, et multo ante pacem datam Ecclesiae per Constantinum scribebat, hanc distinctionem inter praeceptum naturale, et positivum adnotasse videtur *homil. undecima in Numer.*, ubi loquitur de primitiis, quas vidimus ab initio mundi ex dictamine rationali, et Dei ipsius afflatu in usu fuisse. Ait igitur: *Primitias omnium frugum, omniumque pecudum, sacerdotibus lex mandat offerri... Et hoc est, quod docemur ex lege, quia nemo licite, nec legitime utatur fructibus, quod terra produxit, nec animantibus, quae pecudum protulit partus, nisi ex singulis quibusque Deo primitiae*

idest sacerdotibus offerantur. Hanc ergo legem observari etiam secundum literam, sicut et alia nonnulla, necessarium puto. Ostendit deinde per totum *num.* 1., variis adductis exemplis, quomodo ex iis, quae in lege scripta sunt, observanda sint aliqua ex Evangelii discipulis. Porro. *num.* 2. ita prosequitur. *Sicut et in hoc sermone, quem habemus in manibus, arbitror evenire; decet enim et utile est etiam Sacerdotibus Evangelii offerri Primitias. Ita enim et Dominus disposuit, ut qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivant, et qui altari deserviunt de altari participent. Et sicut hoc dignum et decens est, sic e contrario indecens et indignum existimo et impium, ut is, qui Deum colit, et ingreditur Ecclesiam Dei, qui scit sacerdotes et ministros altari, et aut verbo Dei, aut ministerio Ecclesiae deservire, de fructibus terrae, quos dat Deus, solem suum producendo, et pluvias suas ministrando, non offerat primitias sacerdotibus. Non mihi videtur hujusmodi anima habere memoriam Dei, nec cogitare, nec credere, quia Deus dederit fructus, quos caepit, quos ita recondit quasi alienos a Deo. Si enim a Deo sibi datos crederet, sciret utique, munerando sacerdotes, honorare Deum de datis et muneribus suis.* Ex quibus discimus, quod tempore Origenis vi-

detur non extitisse praeceptum positivum Ecclesiasticum, saltem universale, de solutione Primitiarum; aliter non dixisset, quod hanc ipse necessariam putabat, et decentem, et utilem judicabat, sed praeterea Ecclesiae praeceptum protulisset. Discimus secundo, eam fuisse sententiam Origenis, quod praeceptum veteris legis etiam in nova lege observari debebat, quatenus praeceptum naturale et morale ab ipso Deo declaratum per Moysen. Tertio loco discimus, quod oblatio de primitiis facta sacerdotibus est revera facta Deo, qui in Sacerdotibus honoratur, ac de altari suo dispensat ministris, qui altari deserviunt, et quod eam omittere esset ex Origenis sententia indecens, indignum, et impium. Hoc autem dicebat Origenes tertio Ecclesiae saeculo, in quo adhuc vigebant persecutiones, ac proinde magis grave Fidelibus esse debebat primitias solvere de fructibus, quos sibi ipsis eripi assidue periclitabantur.

Nec minus efficaciter loquuntur Patres, qui Ecclesiae pacem sunt sequuti. S. Hieronymus *in Malach. cap.* 3. ita loquitur. *Quod de decimis, primitiisque diximus, quae olim dabantur a populo Sacerdotibus et Levitis, in Ecclesiae quoque populis intelligite: quibus praeceptum est, non solum decimas dare et primi-*

tias, sed et vendere omnia, quae habent, et dare pauperibus, et sequi Dominum Salvatorem. Quod si facere nolumus, saltem Judaeorum imitemur exordia, ut pauperibus partem demus ex toto, et Sacerdotibus ac Levitis honorem debitum deferamus. Quod autem in Oriente solerent Fideles offerre Deo primitias, eruitur ex epist. 49. Juliani Apostatae ad Arsacium Galatiae Pontificem, in qua scribit: *Doceto gentiles in ejusmodi Ministeria pecuniam conferre, et pagos Gentilium ex fructibus offerre Diis Primitias, et ejusmodi beneficentiae officiis assuefacito*. Scilicet volebat Julianus gentilitatem inducere ad imitandam Christianorum munificentiam, ne minoris aestimari sua numina viderentur, quam Christianorum Deus.

Sanctus Augustinus *Enarrat. in Psalm.* 146. *num.* 16. *et* 17. inculcat Fidelibus debitum de danda mercede operantibus in Evangelio. Ait enim inter caetera. *Debetur pluviae fructus, debetur servo cibus, sicut Dominus ait, manducate quae ab ipsis sunt. Et ne putarent aliquid de suo donare, dignus est enim, inquit, operarius mercede sua*. Simul autem protestatur, quod ipse hoc non quaerebat, sed si quaereret, *fructum vestrum quaereremus*, ait, *et non vestras opes, sed vestram justi-*

tiam. Deinde subjungit. *Estote exactores vestri, ne aliquid illi, qui vobis in Evangelio serviunt, non dico petere cogantur, nam forte nec coacti petunt; sed ne silentio vos arguant*. De eodem debito loquitur *serm*. 3. *num*. 9. *in Psalm*. 103. Ex quibus locis arguunt recentiores editores Operum S. Augustini, non esse foetum hujus Doctoris sermones, qui a Baronio ad annum 57. *num*.79. referuntur ad tuendam obligationem decimarum, et a Tomassino *de Beneficiis tom*.3. *lib*.1. *cap*.4. *n*.11. *et* 12. pariter citantur, quia adducto in loco non praeteriisset decimarum mentionem facere, si hujusmodi praeceptum ejus aetate viguisset. Verumtamen ex Canone Apostolorum citato, et Constitutionibus Apostolicis constat, quod etiam ante Augustini aetatem Decimarum et Primitiarum oblatio frequentabatur a Fidelibus sive ex praecepto positivo, sive ex naturali et morali, et insinuatione Ecclesiae, et Fidelium consuetudine, si non universe, saltem aliquibus in locis. Immo quum nullum in historiis certum indicium existat, quando talis lex primum promulgata fuerit, *liquido apparet*, ait Layman, *lib*. 4. *tract*. 6. *cap*. 1. *num*. 2., *et sine temeritate negari non potest, esse hanc Apostolicam traditionem; seu Ecclesiam statim ab ini-*

tio aequissimum, et necessarium judicasse, ut Decimae bonorum etiam Evangelicae legis Ministris, tamquam vitae stipendium, a Fidelibus tribuerentur. Et certe si Apostoli Matthaei vere esset praeceptum, quod registratum retulimus *in cap.* 30. *lib.*8. *Constit. Apostolic.*, de Apostolica traditione dubitari non posset. Sed ipsa Concilia, quae deinde adducemus, ad antiquam consuetudinem suas leges referre manifestabunt. Quidquid sit, aliae etiam sunt causae, ex quibus ii sermones Augustino abdicentur; quare eos potius ad Caesarium Arelatensem cum recentioribus suo loco adjudicabimus.

Atque ut a Conciliis incipiamus, in Concilio Gangrensi, quod circa annum 324. celebratum fuit, in ejus Praefatione inter accusationes Eustathianorum haec recensetur. *Primitias quoque frugum ecclesiasticas, quae ab Omni Memoria Ecclesiae deferuntur, sibimet et suis, veluti sanctis, dispensandas vindicare*. Concil. Mansi. *tom.*2. *col.* 1098. Vides antiquitatem Primitiarum in Ecclesia, de quibus initio saeculi quarti dicitur, quod ab omni memoria Ecclesiae deferebantur. Nescio, an Apostolicae traditionis circa Primitias magis firmum judicium, aut testimonium adduci possit. Sed in eodem Concilio aperte

declaratur consuetudo Fidelium circa oblationes delatas Ecclesiae, quae ab Episcopis etiam in pauperes dispensabantur. Etenim dicitur Can. 7. *Si quis oblationes Ecclesiae extra Ecclesiam accipere, vel dare voluerit, praeter Conscientiam Episcopi, vel ejus, cui hujuscemodi officia commissa sunt, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit*. Et Can. 8. *Si quis dederit, vel acceperit oblata praeter Episcopum, vel eum, qui constitutus est ab eo ad dispensandam misericordiam pauperibus, et qui dat, et qui accipit, anathema sit*. Concil. Mansi *tom.* 2. *col.* 1107.

Lucet etiam Primitiarum, et Decimarum antiquitas in Ecclesia ex Isidori Pelusiotae litteris ad Herminum Comitem *lib.* 1. *ep.* 317. *Praeclare Dominum ornas, cum nobis fructuum tuorum Primitias tribuis, decimamque partem ex ubertate terrae tuae, a quo eam accepisti, pendis*. Vides, quomodo etiam tunc reputabatur, quod solutio decimarum fieret Deo in recognitionem fructuum, qui ex ejus largitione e solo percipiuntur.

Cassianus, qui aetate Augustini floruit, piam consuetudinem deferendi decimas et primitias Diaconiis commemorat. Refert enim *Collat.* 21. *cap.* 1. *et sequ.*, quomodo Abati Joanni, qui Diaconiae praesidebat, certa-

tim decimas, vel primitias frugum suarum pii Fideles offerebant, qui eos ita adhortabatur. *cap.* 2. *Delector quidem, o filii, pia vestrorum munerum largitate, et devotionem hujus oblationis, cujus dispensatio mihi credita est, gratanter amplector, quia fideliter Primitias vestras, ac Decimas indigentium usibus profuturas velut Sacrificium Domino bonae suavitatis offertis*. Ad cujus verba Theonas ingemuit. *c.* 4. *Siquidem cum decimas frugum suarum Diaconiae annis singulis pendere solitus esset, Primitiarum rationem ne audisset quidem aliquando, quam tamen etiam si similiter adimplesset, longe nihilominus secundum Senis sententiam ab evangelica perfectione distaret*. Ita enim Abbas Joannes longo sermone disseruerat, ut videri potest *cap.* 3. et sequ. Ubi animadvertendum est, quod hujusmodi Decimae et Primitiae Joanni non ut Monacho deferebantur, sed ut Praesidi Diaconiae: vocabatur autem *Diaconia* Diaconatus cum Aeconomi munere, qui pauperum sustentationi operam dabat, ut eruitur ex Gregorio Magno *l.* 8. *ep.* 20. *et l.* 9. *ep.* 24., et videri potest apud Thomass. *tom.* 3. *l.* 3. *cap.* 29.

S. Epiphanius *haeres.* 80. contra Massalianos ait. *Sed et pastoribus propter assiduam occupationem circa populos, et ecclesiasticam ad-*

ministrationem, et frequens ministerium, *dicit divina scriptura*: *Quis pascit gregem ovium, et de lacte ipsius non edit? aut quis plantat vineam, et de fructu ipsius non participat? Et dicit: Laborantem Agricolam oportet primum fructuum participem fieri: quo presbyterum, aut episcopum quotidiano alimento non destitutum constitueret, inhortans populos, ut ex justis laboribus tribuant Sacerdotibus, quae ad alimentum pertinent, per Primitias, et Oblationes, atque alia*. Sanctus Gregorius Nazianzenus veluti gravissimi piaculi reos illos arguebat, qui primitias Deo non solverent. *Orat. 15. Alius usuris terram contaminat, alius areae, et torcularis Primitiis Deum, qui omnia donaverat, fraudavit*. Immo censet, aequum esse, ut Deo solvantur non agrestium tantum fructuum primitiae, sed et haereditatum. *ep. 80. Quemadmodum Areae et torcularis primitias, et filiorum, eos qui vere filios amant, Deo consecrare justum ac pium est, quoniam ab ipso, et nos ipsi, et nostra omnia sunt, ita novae quoque haereditatis, ut pars prompte et libenter oblata majori parti securitatem conciliet*. Sanctus Joannes Chrysostomus divites adhortabatur, ut in singulis villis Ecclesias aedificarent, ecclesiasticos Ministros praeficerent, ipsos alerent, et primitias offerrent.

in Acta hom. 18. *n.* 4. *Si quid habes erogandum pauperibus, hac in re insume. Melius illic, quam hic. Ale doctorem, ale diaconum, et sacerdotalem caetum. Ac si uxorem vel sponsam duceres, ac si filiam locares, sic esto erga Ecclesiam affectus. Dotem ipsi largire: sic tibi villa benedictione replebitur. Quid boni non illic erit? Parumne est, quaeso, torcular benedici? Parumne est, Deum prius ex omnibus fructibus tuis sortem, et Primitias accipere?* De decimis etiam loquitur Chrysostomus, non ut de lege ecclesiastica imposita in favorem Sacerdotum, sed ut de subsidio prestando libenter pauperibus, et Sacerdotibus. Etenim quoad pauperes hoc inculcat *hom.*4. *num.*4. *in ep. ad Ephes. Vae enim ei, qui non facit eleemosinam. Si hoc autem erat in veteri, multo magis in novo Testamento. Si ubi erat concessum possidere pecunias, eisque frui, et eas curare, tanta gerebatur cura opis ferendae pauperibus; quanto magis ubi jubemur omnia eiicere? Nam quid illi hoc faciebant? Decimas, et rursus deeimas praebebant orphanis, viduis, proselytis. Sed mihi quidam admirans dicebat; ille dat Decimas. Quanto est hoc plenum probro, et indecore, si quod apud Judaeos non habebatur in admiratione, hoc apud Christianos factum est admirabile.* Quoad autem

Sacerdotes, ait non impositum esse in nova lege onus solvendi iis Decimas, sed tamen necessaria eis non suppeditare iniquum esse, et noluisse Deum quotam taxare, ut libere donantes majorem mercedem accipiant. Ait enim *in epist. ad Philip. hom.* 9. *num.* 3. *et* 4. *Quid enim non absurdum sit ei, qui terreno Imperatori militat, omnia suppeditare, et vestimenta, et cibaria, non solum quantum necessitas postulat, sed etiam plusquam satis est; ei vero, qui militat caelestì Imperatori, atque in acie stat adversus hostes longe graviores, quoniam non est colluctatio nobis, inquit, adversus sanguinem, et carnem, neque necessaria etiam suppeditare? cujus hoc iniquitatis est? quantum hoc ingrati, et parci animi vitium?... An non poterat Deus necessitatem faciendi imponere? At non vult: vobis enim magis consulit, quam iis, qui aluntur. Ideo non vult vos ista ex necessitate facere, quoniam nulla vos maneret merces. Attamen multi eorum, qui hic sunt, Judaeis sunt inferiores ac viliores. Cogita quot erant, quae a Judaeis dabantur, decimae, primitiae, rursus decimae, et rursus aliae decimae, et rursus aliae decimae tertiae, et siclum; nec quisquam erat, qui diceret, sacerdotes multa devorare. Quo plura accipiunt, eo etiam tibi amplior merces.* Ex quibus erui-

tur, non fuisse tunc in Ecclesia Graeca praeceptum positivum de quota Decimarum solvenda; et tamen existimasse Sanctos Doctores iniquum esse, de fructibus terrae Sacerdotes non alere, qui Deo famulantur, et pro populo Israel laborant, et dimicant; immo ad plura libere elargienda, quam Judaei coacte facerent, Fideles hortabantur. Vide etiam ejusdem Doctoris *homil.*18. *in* 1. *ad Corinth.*

In Occidente pariter non satis adhuc constat, praeceptum positivum ecclesiasticum de Decimis pronunciatum fuisse, sed consuetudinem eas solvendi viguisse tunc temporis dubitari nequit. Fames, quae anno 475. Gallias vexavit, aeque afflixit Raetios, Noricos, et alios boreales populos his finitimos. Hoc autem iis accidit ex negligentia solvendi Decimas, quae in pauperum usum deputatae erant. Propter hoc et ab hostibus graviter vexati fuerant, ut iis S. Severinus praedixerat, et fami facti sunt obnoxii. Quare dicebat S. Severinus civibus ex oppido Lauriaco. *Si Decimas obtulissetis pauperibus, non solum aeterna mercede frueremini, verum etiam commodis possetis abundare praesentibus*. Ita narrat Eugipius, qui sancto viro Severino discipulus inhaerebat. apud Baron. *ad an.* 475. *num.* 35.

Julianus Pomerius, qui Arelatae in Gal-

lia Presbyter ordinatus est, et exeunte saeculo quinto, ineunte autem sexto floruit, hunc usum solvendi decimas commemorat, ubi pastores reprehendit, qui se ipsos pascunt, et pascendum gregem non respiciunt. *De Vita Contempl. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 3. *Lac et lanas ovium Christi oblationibus quotidianis, ac Decimis Fidelium gaudentes accipimus, et cura pascendorum gregum, ac reficiendorum, a quibus perverso ordine volumus pasci, deponimus*. Item Caesarius, qui saeculo sexto Arelatensem Ecclesiam rexit, sermone 67. qui olim Augustino adscribebatur, et modo inter spurios rejectus est, et habetur in *appendice num.* 266., inter caetera Christiani officia haec recenset. *Ille vere Christianus est... qui de fructibus suis non gustat, nisi prius ex ipsis aliquid Deo offerat, qui Decimas annis singulis erogandas pauperibus reddit, qui Sacerdotibus suis amorem impendit... qui quando ad Ecclesiam venit, et oblationem, quae in altario mittatur, exhibet, et pauperibus, secundum quod vires habet, argentum porrigit aut bucellam*. Caesarii pariter putant critici esse sermonem, quem inter Augustini spurios conjecerunt in ejus Appendice *num.* 277., et inter Caesarii sermones habetur *num.* 77., cui praefixus est titulus *de reddendis Decimis*. In

eo autem totus incumbit ad ostendendum, quam justum sit Deo solvere Decimas, et quam iniquum, et periculosum eas non tribuere, quae ad pauperes reficiendos inservire debebant. *Propitio Christo, Fratres carissimi, jam prope sunt dies, in quibus messes colligere debebamus*; *et ideo gratias agentes Deo, qui dedit, de offerendis, immo de reddendis Decimis cogitemus. Deus enim noster, qui dignatus est totum dare, decimam a nobis dignatur repetere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam. Sic enim per Prophetam ipse promisit Malach.* 3. 10., *dicens*: *Inferte omnem Decimam in horreis meis, ut sit cibus in domo mea... Decimae enim tributa sunt egentium animarum. Redde ergo tributa pauperibus, offer libamina sacerdotibus. Quod si Decimas non habes fructuum terrenorum, quos habet agricola, quodcumque te pascit ingenium, Dei est, et inde Decimas expetit, unde vivis. De militia, de negotio, de artificio redde decimas... Audi ergo indevota mortalitas. Nosti, quia Dei sunt cuncta, quae percipis, et de suo non accomodas rerum omnium Creatori? Non eget Dominus Deus, non praemium postulat, sed honorem, non de tuo aliquid exigit, quod refundas. Primitias rerum petit, et Decimas, et negas? Avare quid faceres, si novem partibus*

sibi sumptis, tibi decimam reliquisset? Ex quibus patet, quod collecta messe pii Fideles decimam partem separabant, quam in horrea Ecclesiae inferebant, ut a Clero in pauperes alimonia dispensaretur. Et notandum ubique, quod Deo decimas et primitias solvi debere Patres affirmant, quamvis ipsae in Sacerdotum mercedem, et pauperum cibum deinde cederent; et praeterea quod hujusmodi tributum Deo debitum dicitur, in recognitionem ejus supremi dominii, et relationem gratiarum, quae ipsi debentur; quod est, ut ab initio notavimus, fundamentum praecepti naturalis de oblationibus Deo tribuendis. Accedebant aliquando Episcoporum adhortationibus etiam Regum constitutiones. Etenim Rex Chlotarius in Constitutione data anno 560. jubet *art.* 11. *Agraria, pascuaria, vel decimas porcorum Ecclesiae pro fidei nostrae devotione concedimus, ita ut actor, aut decimator in rebus Ecclesiae nullus accedat*; inter Capit. Regum Francor. a Balutio evulgata. Mansi *Concil. tom.* 11. *Append. col.* 7.

Caesarii Arelatensis adhortationi congruit epistola synodica Episcoporum Provinciae Turonicae ad plebem missa post synodum, quae est secunda Turonensis anno 567. In ea dicunt Patres. Concil. Mansi *tom.* 9. *col.*

809. *Illud vero instantissime commonemus, ut Abrahae documenta sequentes Decimas ex omni facultate non pigeat Deo pro reliquis, quae possidetis, conservandis offerre, ne sibi ipse inopiam generet, quia parva non tribuit, ut plura retentet; et quod dicendum est verius, suum persolvat pretium, ne se trahi videat peccato dominante captivum*. Nec multo post scilicet an. 585. Concil. Matisconense can. 51. praecepit Decimas solvi sub poena excommunicationis. Concil. Mansi *tom.* 9. *col.* 951. *Leges itaque divinae consulentes Sacerdotibus, ac Ministris Ecclesiarum, pro haereditatis portione omni populo praeceperunt, Decimas fructuum suorum locis sacris praestare, ut nullo labore impediti horis legitimis spiritualibus possint vacare ministeriis. Quas leges Christianorum congeries longis temporibus custodivit intemeratas; nunc autem paulatim praevaricatores legum pene Christiani omnes ostenduntur, dum ea, quae divinitus sancita sunt, adimplere negligunt. Unde statuimus ac decernimus, ut mos antiquus a Fidelibus reparetur, et Decimas ecclesiasticis famulantibus caeremoniis populus omnis inferat, quas Sacerdotes aut in pauperum usum, aut in captivorum redemptionem praerogantes, suis orationibus pacem populo ac salutem impetrent. Si quis autem contumax no-*

stris statutis saluberrimis fuerit, a membris ecclesiae omni tempore separetur. Docent ergo Patres hujus Concilii, solutionem Decimarum esse conformem divinae legi; istas omnibus retro saeculis a Fidelibus universis persolutas fuisse; eas tradi debere Sacerdotibus, ut quidquid post aequam Clericorum sustentationem superfuerit, in pauperes et captivos erogetur. Ecce igitur, quomodo rursus confirmetur, quod Decimarum solutio ex Apostolica traditione originem duxerit. Fideles autem pluribus saeculis sponte, et ut ita dicam libere eas persolvebant, et si quando in suo officio torpescerent, Episcopi eos reprehendendo, et adhortando ad debitum morem revocabant. Sed quum denique pene Christiani omnes hoc debitum adimplere negligerent, coepit Ecclesia, quod naturaliter et divinitus olim sancitum erat, suo positivo praecepto declarare, determinare, et communire, et in praevaricatores sententiam ferre. Quum vero Patres adducunt antiquam legem tamquam fundamentum hujus praecepti, eam intelligunt quoad morale, non vero quoad caeremoniale. Morale autem illius legis in naturali et divina intus posita lege, et per afflatum Spiritus Sancti etiam antiquis Patriarchis indicta, fundatur. Quare etiam

S. Gregorius Magnus dicebat *in Evang. hom.* 16. *Unde fratres charissimi, sicut offerre in Lege jubemini Decimas rerum, ita etiam offerre contendite et Decimas dierum.*

Opportunum quoque existimo animadvertere, quod hoc Concilium probabiliter est primum, in quo inveniatur inflicta poena ecclesiastica non persolventibus Decimas. Etenim Acta Damasi, quae citantur a Baronio ad annum 382. *num.* 20., *et* 384. *n.*19., in quibus legebatur, ut primitiae ac decimae a Fidelibus darentur, et qui detrectarent, anathema ferirentur, et quae Martinus Milesius Sarazanius eruta ex Mss. Archiv. Canonic. S. Petri in Vat. in vita et scriptis S. Damasi Papae vulgaverat, apocryha ab eruditis nunc judicantur; uti videre est apud Coustant. *tom.* 1. *ep. Rom. Pontif. pag.* 603., et apud Mansi *Concil. tom.* 3. *col.* 1259. Quare nescio, an pluris facienda sint Decreta ejusdem Damasi a Gratiano, et Ivone relata, in quibus prohibetur, sub dominio laicorum detineri Oblationes, quae intra sanctam Ecclesiam offeruntur. 10. *quaest.* 1. *Hanc consuetudinem*; et Mansi *Concil. tom.* 3. *col.* 446. Hoc tamen valde simile est canoni 7. Commonitorii Theophili Alexandrini, in quo dicitur: *Quae in Sacrificii rationem offeruntur, post ea, quae in*

misteriorum usum consumuntur, Clericis dividant, et nec catechumenus ex eis bibat, vel comedat, sed solum Clerici, et qui cum eis sunt fideles fratres. Mansi Concil. *tom*. 3. *col*.1258. Et hoc confirmat antiquam consuetudinem offerendi quantitatem panis et vini, quae non solum ad Sacrificium conficiendum sufficeret, sed etiam in Clericorum alimoniam redundaret.Floruit enim Theophilus Alexandrinus saeculo quarto.

Atque hujus Canonis Concilii Matisconensis occasione considerandum est, quomodo quaedam Ecclesiasticae leges habent pro fundamento legem naturalem, et divinam, et non sunt nisi quaedam declaratio, determinatio, et praeceptio de materia, quae aliunde saltem quoad substantiam praecepta est. In Ecclesia autem esse debet haec auctoritas declarandi, determinandi, et praecipiendi id,quod ad subditorum salutem conducit, et necessarium est, sicuti in civili communitate auctoritas inest regendi cives in ordine ad temporalem felicitatem, et civilem concordiam. Quare debet esse in Ecclesia jus non solum dirigendi, sed etiam cogendi Fideles ad subministrandum, quod ad Dei cultum, et ejus Ministrorum, immo etiam pauperum sustentationem congruit, sicuti in ci-

vili potestate radicatur jus obligandi subditos ad tributa, quae in Principis, Ministrorum, Magistratuum, et totius communitatis sustentationem, defensionem, et honorem competit. Et quoniam in civili societate naturaliter inest haec obligatio quoad substantiam, sed non determinata quoad modum et quotam; haec autem determinatio fieri debet a legitima Praesidis auctoritate, qui modum et quotam imperet secundum sibi cognitas communitatis necessitates, et temporum circumstantias; ita etiam in Ecclesiae subditis naturaliter radicatur debitum offerendi Deo de terrae fructibus ad ejus cultum, et ejus Ministrorum et pauperum alimoniam; determinatio autem quoad modum et quotam fit ab Ecclesiae legitima auctoritate, ita ut aut decimam, aut duodecimam, aut vigesimam partem praecipere possit, et suum praeceptum sanctione munire, uti praestat civilis auctoritas, secundum quod opportunum judicaverit. Quae veritas veluti fax praeire debet ad explicanda plura Ecclesiae praecepta, ut est hoc de Decimis, et illud de Immunitate.

Hujusmodi observatio viam sternit ad aliam non minus opportunam animadversionem. Quousque Ecclesia de decimis, aut immunitate positivam legem non edidit, aut

modum, et quotam non determinavit, ex naturali lege tenebantur Fideles id praestare, sed indeterminate quoad modum, et quotam, quamvis divina lex data per Moysen quasi dux praelucebat ad dignoscendum, quid magis conveniens, et Dei voluntati magis accomodatum esset; ideoque veteres Patres tam saepe de divina lege mentionem faciebant, et circa immunitatem, et circa decimas. Sed postquam accessit praeceptum, et determinatio Ecclesiae utentis auctoritate sibi a Jesu Christo tradita, adstricti fuerunt Fideles, quoad modum, et quotam legitimo Ecclesiae mandato; sicuti in civili societate naturali dictamine tenentur subditi in genere tributa Praesidi praestare, et humano imperio obligantur ad determinatam tributi quantitatem. Hinc ulterius notandum est, quod donec Ecclesia per canones generalium Conciliorum. aut per Pontificis Romani decreta, universalem legem non tulit de Immunitate, aut Decimis, a dioecesanis aut provincialibus constitutionibus haec officia regulabantur, quae constitutiones, quum accomodatae essent pro locorum circumstantiis, et usibus, et particulares essent, non universales, hinc factum est, ut per plura saecula occurrat non modica varietas, et diversitas pro singulis Eccle-

siis circa praxim hujusmodi officiorum. Non ubique enim Decimarum lex priscis temporibus indicta fuit, ut saepe diximus. Quare Alcuinus dehortabatur Carolum Magnum, ne sineret Decimas ab Hunnis colligi, qui non ita pridem Christi gregi accesserant, et orabat perpendi: *Si melius sit rudibus populis in principio fidei, jugum Decimarum imponere, ut plena fiat per singulas domus exactio illarum. An Apostoli a Christo edocti exactiones decimarum exegissent. Nos in fide Catholica nati et enutriti, et edocti, vix consentimus substantiam nostram pleniter decimare. Quanto magis tenera fides, et infantilis animus, et avara mens illarum largitati non consentit*. Alcuinus *ep.* 71. Dehortabatur igitur Alcuinus non qualemcumque, sed plenam Decimarum exactionem, quia Decimae in Ecclesia rigorose taxatae non erant, ut in antiqua lege. Quae adnotatio magnam lucem, meo quidem judicio, afferre videtur ad refellendas difficultates, quas ex ecclesiastica historia praesertim contra Immunitatem adversarii egesserunt. Quid enim mirum, si de Immunitate diversimode sancitum est in particularibus Conciliis, si ad Principum concessiones ab eis interdum appellabatur, si a Principibus ipsis Immunitatem quasi privilegium recognoscere aliquoties profiteri visa

sunt, et Regibus violantibus hanc Immunitatem non semper aperte, et auctoritative reluctabantur, quum nondum Ecclesia generalem legem de ecclesiastica Immunitate sanciverat? Hoc autem factum non est ante Lateranense Oecumenicum Concilium anno 1179., in quo de Immunitate universale decretum latum fuit. cap. 19. Quare post illud Lateranense Concilium Ecclesia semper contra Immunitatis violatores reclamavit, et poenis in eo constitutis illos coercuit. Sed his observationibus praehabitis, leges, et constitutiones circa Decimas enumerare prosequamur, in quibus eam varietatem inveniemus, cujus admirationem, et difficultatem praeoccupare opportunum, immo necessarium videbatur.

Sanctus Gregorius Magnus interrogatus fuit ab Augustino, quem ad fidem Anglis praedicandam transmiserat, *de his, quae Fidelium Oblationibus accedunt ad Altaria; quantae debeant fieri portiones*. Respondit S. Gregorius. *Mos autem Apostolicae Sedis est, ordinatis Episcopis praecepta tradere, ut de omni stipendio, quod accedit, quatuor fieri debeant portiones: una videlicet Episcopo et familiae ejus, propter hospitalitatem et susceptionem; alia Clero, tertia vero pauperibus, quarta Ecclesiis reparan-*

dis. Sed quia tua fraternitas Monasterii regulis erudita seorsum vivere non debeat a Clericis suis in Ecclesia Anglorum, quae auctore Deo nuper adhuc ad fidem perducta est, hanc debet instituere conversationem, quae initio nascentis Ecclesiae fuit patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. S. Greg. *l.* 12. *ep.* 37. *inter.* 1. Vides, quod hic nulla de Decimis fit mentio in particulari, sed tantum in genere de Oblationibus. Quare videtur, quod pro illo populo recenter ad fidem converso taxata non fuerit, neque ab Augustino, neque a Gregorio qualitas, et quantitas Oblationum, sed relictum cujusque devotioni et pietati. Hae autem Oblationes non modicae erant, si Episcopi, totius Cleri, pauperum, et Ecclesiarum necessitatibus subventionem praebebant. Verum postea Decimarum solutionem etiam in Angliam invectam fuisse eruitur ex eo, quod enarrat Beda de Eadberto, qui Episcopalibus infulis decoratus fuit, et quum nondum Episcopus esset, *juxta legem omnibus annis Decimam non solum quadrupedum, verum etiam frugum omnium atque pomorum, nec non et vestimentorum pauperibus dabat.* Beda *l.*4. *Hist. c.* 29. Nisi potius dicere velimus, quod

Beda ad legem divinam veteris Testamenti appellaret. Immo Guilielmus Rex Conquaestor, apud Rogerum Hovedensem, Decimarum debitum admittebat esse stricti juris usque a temporibus Augustini. *Haec enim Sanctus Augustinus praedicavit, et docuit, et haec concessa sunt a Rege, et a Baronibus, et a Populo*. Quiquid sit, certe patet, ab Augustino Oblationes fuisse statim in Anglia inductas, sive ex consilio, sive ex praecepto, sive quoad substantiam, sive etiam determinate quoad quotam.

Circa annum 658. collocatur Concilium Namnetense, cujus decimus Canon est de Decimis, et Oblationibus, quas pauperum, et peregrinorum, et hospitum stipendia esse docet, iisque Praesbyteros non quasi suis, sed quasi commendatis uti debere; easque in quatuor partes divisas secundum Canones dispensare. Natal. Alex. *hist. eccles. saecul.* 7. *c.* 4. *art.* 24. P. le Cointe hoc Concilium circa annum 656. assignat; P. Antonius Pagi circa annum 660. Incertum est autem apud eruditos, utrum ad citatum Concilium, an ad posterius hic Canon pertineat, qui translatus videtur in librum 7. Capitularium. Vide Mansi *Concil. tom.* 11. *col.* 60. *et sequ.*

Scripsit Rex Pipinus Caroli Magni parens

ad Lullum Archiepiscopum Moguntinum, ut Decimas auctoritate regia sibi accumulatas exigeret, nec ullum sineret abire immunem. *Sic faciatis ordinare in verbo nostro, ut unusquisque homo aut vellet, aut nollet, suam Decimam daret*. Du Chesne *tom.* 2. *p.* 633.

Legitur in Canonum Hibernicorum Collectione, quae Dacherii judicio in exitu saeculi septimi confecta creditur, et a cl.Mansi in suam Conciliorum collectionem relata fuit *tom.* 12. *col.* 118. *et sequ.*, legitur, inquam, disputatio quaedam de Decimis, cui titulus. *Idem Synodus Sapientia sic de Decimis disputat*. Ibi autem Deo Decimas offerri debere, et Primitias asseritur, et solum disputatur de quota, et qualitate earumdem, uti ibidem videri potest. *col.* 149.

In Capitulari Caroli Regis Francorum an. 779. facto in synodali Concilio congregato ex Episcopis, Abbatibus, et Comitibus, una cum ipso Carolo Rege, jubetur cap.7. *De Decimis, ut unusquisque suam Decimam donet, atque per jussionem Pontificis dispensentur*. Mansi *Concil. tom.* 12. *col.* 895. Similiter inter selecta Caroli Magni Capitula ecclesiastica tit. 1. cap. 1. dicitur. *Quapropter nos, una cum consensu Episcoporum nostrorum, Abbatum, nec non aliorum Sacerdotum, haec*

instituta partibus nostris direximus. Praecipientes enim jubemus, ut nullus quilibet ex fidelibus nostris a minimo ad maximum, in his, quae ad Deum pertinent, Episcopo inobediens parere audeat de supradictis capitulis, seu aliis eruditionibus ad illorum ministeria pertinentibus: sed cum bona voluntate, et omni mansuetudinis subjectione, unusquisque Sacerdoti suo propter Deum et pacis studium obtemperare studeat. Si quis autem, quod absit, de Nonis, et Decimis, Censibusque reddendis, atque Precariis renovandis negligens apparuerit... sciat se procul dubio, nisi se cito correxerit, in conspectu nostro exinde ducere rationes. Mansi *tom.* 13. *col.* 1049.

Notabile est Praeceptum ejusdem Karoli Magni de Institutione Episcopatuum per Saxoniam, quam nuperrime suae ditioni subjecerat. Datum est anno Christi 789. et sic incipit. *In nomine Domini, et Salvatoris nostri Jesu Christi Karolus divina ordinante providentia Rex. Si Domino Deo exercituum succurrente, in bellis victoria potiti sumus, in illo, et non in nobis gloriamur, et in hoc saeculo pacem et prosperitatem, et in futuro perpetuae mercedis retributionem nos promereri confidimus. Quapropter noverint omnes Christi Fideles, quod Saxones, quos a progenitoribus no-*

stris ob suam pertinaciam perfidiae semper indomabiles, ipsique Deo et nobis tamdiu rebelles, quousque illius, non nostra, virtute ipsos et bellis vicimus, et ad Baptismi gratiam Deo annuente perduximus, pristinae libertati donatos, et omni nobis debito censu solutos, pro amore illius, qui nobis victoriam contulit, ipsi tributarios et subjugales devote addiximus, videlicet ut qui nostrae potestatis jugum hactenus ferre detrectaverunt, victi jam Deo gratias et armis et fide, Domino et Salvatori nostro Jesu Christo, et Sacerdotibus ejus omnium suorum jumentorum, et fructuum, totiusque culturae Decimas ac nutriturae, divites, ac pauperes legaliter constricti persolvant. Mansi *Concil. tom.* 13. *Append. col.* 179. Idem reperitur in Capitulis pro Saxonia constitutis. *cap.* 17. *ibid. col.* 183.

In Concilio Francofordiensi an. 794. statutum est can. 23. *Ut decimas, et Nonas, sive census omnes generaliter donent, qui debitores sunt ex beneficiis, et rebus Ecclesiarum, secundum priorem capitularem Domini Regis. Et omnis homo ex sua proprietate legitimam Decimam ad Ecclesiam conferat. Experimento enim didicimus, in anno, quo illa valida fames irrepsit, ebullire vacuas annonas a daemonibus devoratas, et voces exprobrationis au-*

ditas . Ibidem col. 192. Decimae autem et Nonae erant decima duplex , quam laici Beneficiarii persolvere tenebantur Ecclesiae . Thomass. *part.* 3. *l.* 1. *c.* 8. De Oblationibus, et Decimarum praecepto fit pariter mentio a Theodulpho Episcopo Aurelianensi in suo Capitulari an. 797. cap. 6. *Foeminae , Missam Sacerdote celebrante , nequaquam ad Altare accedant , sed locis suis stent , et ibi Sacerdos earum Oblationes Deo oblaturus accipiat* . Cap. 35. indicitur mercatoribus , ut ipsi etiam Decimas solvant . *Sicut enim ab his , qui labori agrorum , et caeteris laboribus victum atque vestitum , et necessaria usibus humanis acquirere hiantes stant , Decimae et eleemosinae dandae sunt* ; *ita his quoque , qui pro necessitatibus suis negotiis insistunt , faciendum est* . Mansi *Concil. tom.* 13. *col.* 996. , *et* 1004. Pariter Concilium Moguntinum an. 813. can. 38. *Admonemus , atque praecipimus , ut Decimas Deo omnino dari non negligatur , quas Deus ipse sibi dari constituit* : *quia timendum est , ut quisquis Deo debitum suum abstrahit , ne forte Deus per peccatum suum auferat ei necessaria sua* . Mansi *Concil. tom.* 14. *col.* 73. In legibus Longobardorum lib. 1. tit. 3. c. 4. cautum est ; *Ut Decimae populi in quatuor partes dividantur . Prima pars Episcopis detur ,*

alia Clericis, tertia pauperibus, quarta in fabrica ipsius Ecclesiae. ibid. *Append. col.*254. Item in capitulari Episcoporum. *c.* 6. *et* 7. ibid. *col.* 255. Pariter in Capitulari ad Salz an. 804. *c.*2. *et* 3. Et sic deinde per alia Capitularia, quae superfluum ducimus recensere.

In Ecclesia vero Graeca mos pariter erat deferendi ad Ecclesiam decimas et primitias. Sed quum Episcopi Ecclesiasticam severitatem in eos exercerent, qui Ecclesiam defraudabant, poenarum gravitati intercessit, absque tamen legitima auctoritate Justinianus, ut in Codice de Episcop. et Cleric. c.38. *Non oportet Episcopos aut Clericos cogere quosquam ad fructus offerendos, aut angarias dandas, aut alio modo vexare, aut excommunicare, aut anathematizare, aut denegare communionem, aut idcirco non baptizare*. Laudat etiam Photius in Nomocanone has Constitutiones, sed tamen fatetur vulgatissimum esse officium solvendi primitias, decimas, et oblationes. *tit.* 6. *c.* 12.

Ad Occidentem redeamus, ubi traditio Apostolica intemerate servata fuit. Concilium Arelatense anno 813. can. 9. *Ut unusquisque de propriis laboribus decimas, et primitias Deo offerat, sicut scriptum est: Decimas et Primitias tuas non tardabis offerre Do-*

mino Deo tuo. Mansi *tom.* 14. *col.* 60. Concilium Cabillonense anno 813. idem injungit, et addit. Can. 18. *Qui vero Decimas post crebras admonitiones dare neglexerint, excommunicentur*. ibid. *col.* 97. Capitulare Ahytonis Episcopi Basiliensis circa annum 822. can. 15. *Decima, quae a Fidelibus datur, Dei census nuncupanda est, et Deo ex integro reddenda*. ibid. *col.* 396. In Capitulari Lotharii primi Imperatoris condito ad Olonam an. 824. c. 9. *De Decimis vero dandis statuimus, ut sicut in Capitulari continetur, quod in Mantua factum est, observetur, ita quod qui eas dare nolunt, distringantur, atque per eos exsolvantur*. ibid. *col.* 484.

Jonas Aurelianensis Episcopus, qui saeculo nono floruit, *de Instit. laic. l.* 2. *c.* 19. ait, non esse Nobilium, sed Episcoporum decernere, quae partitio fieri debeat Decimarum, et Oblationum. *Non enim ad laicorum*, sed ad Pontificum Ministerium, *per quos Basilicae Deo dedicantur, pertinet, qualiter Oblationes, et Decimae Fidelium Deo Oblatae dispensentur, ordinare*. Pronuntiavit igitur, quod Decimae sint computandae inter Oblationes Deo immediate factas. Et prius dixerat, quod *Oblationes et Decimae Fidelium solius Dei causa dari debeant*. Deinde pluri-

bus auctoritatibus Scripturae adductis concludit: *Evidentibus itaque indiciis declaratum est, qualiter Decimae Deo dari debeant*.

Plurimum confert ad confirmanda, quae huc usque per seriem exposuimus, Epistola Synodi Aquisgranensis secundi ad Pippinum data anno 836.; atque in tres libros divisa. Concil. Mansi *tom.* 14. *col.* 697. *et sequ.* In ea enim primo diluunt Patres vulgarem illam circa Oblationes Deo factas difficultatem: *Quid curae est inde Deo, sanctisque ejus, ob quorum amorem Deo dicantur oblatae, cum utique in eorumdem Sanctorum usus nihil ex eis cedat? Et ubi Deus haec, quae Ecclesiarum Rectores opponunt, jussit sibi offerri, praesertim cum omnia, quae in terris sunt, sua sint, et ille ea ad usus hominum creaverit?* lib. 1. num. 3. Huic argumentationi, quam *insanissimam* vocant, respondent Patres ex utriusque Testamenti paginis, et Sanctorum Patrum dictis. Itaque Scripturarum testimonia referunt, quae etiam nos ipsi superius descripsimus; quibus probatur, quod Deus sive ante legem, sive in lege, quae sua sunt, et hominum gratia creavit, jussit ad templum, et Sanctuarium suum offerri. Deinde in libro tertio de praesentis temporis Ecclesia eamdem institutionem, et consuetu-

dinem ostendunt. Simul etiam comminationes, et punitiones enumerant, quibus Deus homines absterruit a rapiendis, quae sibi oblata fuissent. *Unde patet Oblationes Deo debitas, et gratas esse, in recognitionem servitutis, et gratitudinis nostrae, et quod Deus, sicut in votis sponte offerentium laetatur, ita in non offerentium, vel etiam quoquomodo auferre tentantium transgressionibus offenditur.* l. 1. num. 9. Vide de hac re Nicolai primi *Append.* 1. *ep.* 15. *ad Aquitanos. Concil.* Mansi *tom.* 15. *col.* 386. Exigit enim Deus ut supremus Dominus ab hominibus ea, quibus ipse non eget, ut ab eorum famulatu, et gratitudine provocatus rursus ipsis tribuat, quibus egent.

Concilium Moguntinum anno 847. denuo inculcat praeceptum Decimarum, quod anno 813. retulimus. Mansi *tom.* 14. *col.* 906. *can.* 10. Synodus Ticinensis anno 850. can. 17. sic praecipit. *Omnes Christianos scire oportet, quia omnium rerum suarum Decimationem Deo fideliter reddere debent: et secundum Episcoporum dispositionem Sacerdotum, et reliquorum Clericorum usibus caeterisque ecclesiasticis utilitatibus distribuendae sunt... Quisquis igitur post monitionem Episcopi, et Sacerdotum, Decimas dare contempserit, vel pro*

suo arbitrio, quibus dandae non sunt, dare praesumpserit, tamquam divinarum sanctionum contemptor et temerator sacerdotali est vigore plectendus, et sacrae communionis participatione removendus. Mansi *tom.*14. *col.*936. Nicolaus Papa, in responsis ad consulta Bulgarorum, eos admonet de Primitiarum consuetudine. num. 89. *Fruges novas, et rerum offerre Primitias, etiam veteribus moris erat, quod pene in ipso initio mundi Abel et Cain egisse legimus*. Mansi *tom.* 15. *col.*429. Concilium Wormatiense anno 868. can. 59. *Ut Decimae in potestate Episcopi fiant, qualiter a praesbyteris dispensentur*: ibidem *col.* 879. De earum obligatione item mentionem fecerat Wormatiense Capitulare anno 829. *c.* 6. *ibidem Append. col.* 449. Inter leges Aluredi, seu Aelfredi Regis ad an. 885. cap. 38. *Decimas tuas, et Primitias tuas, ambulantes et crescentes Des Deo*. Mansi *tom.*18. *col.*30. Concilium Triburiense an. 895. can. 13. *De Decimis Augustinus doctor mirabilis sub brevi ratiuncula satis videtur dilucidasse, cum ait: Decimae ex debito requiruntur. Quid si diceret Deus? Nempe meus es, o homo, mea est terra, quam colis, mea semina, quae spargis, mea animalia, quae fatigas, meus est solis ardor: et cum omnia mea sint, tu qui manus acco-*

modas , solam Decimam merebaris : sed servo tibi novem , da mihi Decimam . Si non dederis mihi Decimam , auferam novem . Si ergo quaerit aliquis , cur Decimae dentur , sciat quod ideo dandae sunt , ut hac devotione Deus placatus largius praestet , quae necessaria sunt , et ut Ministri Ecclesiae exinde relevati liberiores fiant ad spiritualis servitii expletionem ; et ut munus populi ex hinc in quotidiana oblatione Domino immoletur , nec non secundum statuta Canonum in sustentationem pauperum , et restaurationem Ecclesiarum proficiant . Quatuor enim fieri partes juxta Canones judicamus de decimis , et oblationibus fidelium : ut una sit Episcopi , altera Clericorum , tertia pauperum , quarta restaurationi Ecclesiarum servetur , sicut in epistola Gelasii Papae capite vigesimo septimo legitur . Mansi *tom.* 18. *col.* 139.

Vides igitur, quomodo usque ad saeculum decimum oblationes, et decimae, et primitiae a Fidelibus contributae fuerint, et in quos usus fere ubique deputatae erant. Quod si non ubique inductae fuerunt, aut solutae; saepe fuit in causa aut improvvida Clericorum exactio, aut laicorum dura avaritia. Decimas a Machabaeo Rege fuisse inductas in Scotiam, et Adam Carthanensem Episco-

pum, qui ipsas sub excommunicatione caepit exigere, fuisse trucidatum a rusticis, scribit in Scotorum historia Hector Boetius *l.* 12. *c.*9. Decimas obstinate renuerunt solvere Holsati ut in Sclavorum Chronico apud Hemboldum praesbyterum . *l.* 1. *cap.* 31. ita ut consultarent trucidare Episcopum, terram incendere, et fugere ad Regem Danorum. Etiam Sclavos, dum suscepere fidem, adversus Decimam expostulasse, et stipulatos fuisse cum Aldenburgensi Episcopo, refert idem Hemboldus. *cap.* 12. Quare sapienter Ecclesia Decimarum praeceptum pro locorum, et temporum circumstantiis semper temperavit.

Jam vero institutam seriem prosequamur. Concilium Troslejanum anno 909.can.6., dum graviter conqueritur de injuriis Ecclesiae facultatibus illatis, refert inter caetera Toletani Concilii dispositionem, a quo ordinatum fuit, ut omnia juxta constitutionem antiquam ad episcopi ordinationem, et potestatem pertineant: Deinde subjungit. *Quod si quaeritur, quae dicat Omnia, proculdubio Decimas, Primitias frugum, et Oblationes eorum, et ea quae parochiis in terris, vineis, mancipiis, atque pecuniis, seu quibuslibet rebus, quaecumque Fideles obtulerint: quae om-*

nia sub immunitate a tributis fiscalibus, et omni dominorum exactione libera sub potestate, et dispositione, ut diximus, episcoporum ac regimine, et dispensatione presbyterorum manere debent inconcussa. Adducit in confirmationem Ludovici Capitularia, et Carthaginensis Concilii canones. Postea invehitur in illos, qui decimas solvere renuebant de militia, de negotio, de lanarum tonsione, de artificio, et de caeteris quibuscumque sibi a Deo largitis commerciis, quibus ait. *Primo omnium attendant, quia solius Dei causa Oblationes et Decimas suas Sacerdotibus, ut ipsi Deo, dare debeant; et quia eas dando fideliter, nihil Deo, qui bonorum nostrorum a se nobis collatorum non indiget, conferunt, sed ei sua reddunt, et pro parvis in praesenti maxima, et sibi in futurum profutura acquirunt*. Adducit hic praecepta, et exempla antiquae legis, et denique concludit. *His igitur diligenter perspectis, monente Scriptura, Deum devote honoremus in dandis omnium, quae possidemus, rerum primitiis, et decimis, ut ab ipso percipere mereamur, et necessaria boni commoda temporalis, et aeternae praemia felicitatis*. Mansi *tom.* 18. *col.* 279. *et sequ.* Nec minus in Anglia vigebant tunc temporis hujusmodi leges. Ete-

nim inter Constitutiones Uldonis Archiepiscopi Cantuariensis legitur c. 10. *Cum obtestatione praecipimus, ut omnes studeant de omnibus, quae possident, dare Decimas, quia speciale Domini Dei est, et de novem partibus sibi vivant, et eleemosynas tribuant. ad an.* 943. Mansi *tom.* 18. *col.* 397. Pariter inter leges ecclesiasticas Edmundi Angliae Regis part. 1. cap. 2. *Christianus quisque Decimas seminum, Primitias, nummumque eleemosynarium illum religiose pendito: qui non solverit, anathema esto*. Idem *col.* 399. Concilium vero Engilenheimense in Gallia ad an. 948. statuit can. 9. *Ut decimae, quas Dominus praecipit in horreum suum deferri, si ecclesiis Dei non fuerint redditae, sed nefaria cupiditate, quae saevior Aethnae ignibus ardet, a saecularibus fuerint retentae, saecularia super hoc non exerceantur judicia, nec in forensibus discutiantur causis, sed in sancta Synodo ab ipsis Sacerdotibus, quorum deputatae sunt usibus, quid exinde debeat actitari, certis diffiniatur promulgationibus*. Mansi *tom.* 18. *col.* 421. Rursus in Anglia sub Edgaro Rege in ejus legibus ecclesiasticis praeceptum fuit cap. 3. *Quisque fetuum Decimas omnes ante pentecosten persolvito: terrae quidem fructuum Decimas ante aequinoctium pendito: ipsas au-*

tem seminum Primitias sub festum divi Martini reddito. Si quis non solverit, poenas, ut judiciali libro proditum est, dato. ad an. 967. Mansi *tom.* 18. *col.* 512.

Concilium Aenhamense in Anglia anno 1009. can. 10. *Decimationes frugum, et vitulorum, et agnorum, nec non et aratrales eleemosynae, ecclesiasticaque munera, Domino per singulos annos temporibus rependantur congruis.* Mansi *tom.* 19. *col.* 307. Sic etiam praecipit Rex Aethetredus circa an. 1012. in suis ecclesiasticis legibus. cap. 3. et 7. ibidem *col.* 320. Renovatur hoc praeceptum in legibus Canuti Regis ad an. 1032. cap. 8. *Et persolvantur Dei jura quovis anno juste diligenter, hoc est arationis eleemosynae decimo quinto die a Paschate, et foetuum Decimae ad Pentecosten, et terrae Primitiae ad festum omnium Sanctorum.* et cap. 10., et 11. ibidem *col.* 558. In Concilio autem Tolosano ad an. 1056. can. 10. et 11. praeceptum est, quae pars decimarum episcopo, et praesbyteris assignari, et solvi deberet. Mansi *tom.* 19. *col.* 849. Concilium Romanum habitum anno 1059. tempore Nicolai Papae secundi can. 5. praecipit: *Deinde ut Decimae et Primitiae, seu Oblationes vivorum et mortuorum Ecclesiis Dei fideliter reddantur a laicis; et*

ut in dispositione episcoporum sint . Quas qui retinuerint , a sanctae Ecclesiae communione separentur . ibidem *col.* 898.

Interea animadvertendum est, in pluribus locis per Apostolica Privilegia Monachos a solutione Decimarum liberatos fuisse ; ipsis etiam Parochiales Ecclesias cum Decimarum , et Primitiarum jure concessas ; pariter Decimas non raro ab Episcopis datas laicis in feudum, aut Militarem Commendam. De quibus rebus videri potest Thomassinus *de Beneficiis part.*3. *lib.*1. *cap.*10. *et* 11. Hoc autem confirmat Ecclesiae jus ad Decimarum exactionem, et distributionem; non enim in alios transferre jus potuisset, quod ipsa non possideret . Praeterquamquod easdem Decimas injuste a laicis extortas, aut occupatas ipsa Ecclesia in suis Conciliis saepe ad se revocavit , ut apud ipsum Thomassinum facile dignosci potest in citatis locis.

Concilium Romanum quintum celebratum tempore S. Gregorii Papae septimi anno 1078. can. 6. *Decimas, quas in usum pietatis concessas esse canonica auctoritas demonstrat, a laicis possideri Apostolica auctoritate prohibemus : sive enim ab episcopis , vel regibus , vel quibuslibet personis eas acceperint , nisi Ecclesiae reddiderint , sciant se sacrilegii*

crimen committere, et eternae damnationis periculum incurrere. Mansi *tom.*20. *col.*510. Pariter canone octavo inhibetur Abbatibus decimas et primitias, et reliqua, quae secundum statuta canonum ad episcopos pertinent, sine auctoritate Romani Pontificis, seu Episcopi consensu, in cujus dioecesi habitant, detinere. In Synodo Quintili Neburgensi sub eodem Gregorio anno 1085. dicitur can. 5. *Item ne laici Decimas sibi vindicent in proprietatem, nec etiam in beneficium, nisi concessione legitimorum possessorum.* Mansi ibidem *col.* 608. Notat ad hunc Canonem Christianus Lupus Operum *tom.* 6. *pag.* 353. *edit. Venetae* 1725., quod apud quosdam Germaniae populos fuit admodum difficile decimale onus inducere. Etenim anno post millesimum vigesimo secundo novellam fidem apud Polonos graviter cespitasse scribit Longinus Cracoviensis Ecclesiae Canonicus, quia nonnulli Nobiles ob onerosam Decimarum manipularium solutionem onerosos Christianos ritus dicebant. Sed eorum dicteria, et conspirationes in Ecclesiae Ministros Boleslaus Rex in ipso suo ortu extinxit, conspirationis ducibus partim capitali supplicio addictis, partim verberibus mulctatis. Item Dani, Sclavi, Norvuegi, et alii Boreales po-

puli Decimas admittere noluerunt, ac illam ob rem Adebertus Hamburgensis episcopus summos sustinuit labores, et opus fuit, ut episcopi cum illis varia pacta, et moderamina inirent, quae late exponit Arnoldus Abbas Lubecensis. De Sancto Canuto Danorum Rege scribit etiam Saxo Grammaticus: *Canutus populares adhuc Sacrorum rudes Decimarum religioni assuefacere conabatur, sed irrita suasio fuit. Quippe maturitatem rerum capere novella cultus rudimenta nequibant*. Et Demetrius Dalmatiae Rex coram Gregorii septimi Legatis fecit hanc Synodalem professionem anno 1076. *Primitiae, Decimae, omniumque ad Ecclesiam pertinentium procurator existam*. Quod nempe populus isti oneri refragaretur. Mansi ibidem *col.* 473. Ex quibus eruitur, Decimarum praeceptum in nova lege esse ecclesiasticum quamvis ex veteri lege desumptum; aliter Ecclesia illud moderari non potuisset; fuisse tamen semper in Ecclesia consuetudinem, ut pro ejus adimpletione quantum fieri posset secundum Evangelicae prudentiae monita instaret.

In Melfitano Concilio anno 1089. sub Urbano secundo renovatum fuit Decretum, ut *nullus laicus Decimas suas, aut Ecclesiam, aut quidquid ecclesiastici juris est, sine con-*

sensu Episcopi, vel Romani concessione Pontificis, Monasteriis aut Canonicis offerre praesumat. can. 5. Mansi *tom.* 20. *col.* 723. Sub Ladislao Hungariae Rege, et Seraphino Archiepiscopo Strigoniensi habita est anno 1092. Synodus Rabolchensis, in qua cap. 40. statutum fuit: *Episcopus accipiat Decimationem ab omnibus*; et deinde praescribitur regula circa modum exigendi, et poena in transgressores. Mansi ibidem *col.* 781. Concilium Claromontanum anno 1095. can. 19. jubet: *Ne laici Decimam partem de laboribus suis retineant, et sicut nec debent retinere, ita nec accipere*. Mansi ibidem *col.* 818. Rotomagense anno 1096. can. 5. praecipit, *quod nullus laicus participationem habeat in tertia parte Decimae, vel in sepultura, vel in oblatione altaris*. ibidem *col.* 924. Idem vetatur a Concilio Nemausensi an. 1096. *can.* 6. *col.* 935. Renovatur Decretum contra offerentes decimas Monasteriis aut Canonicis in Romano Concilio anno 1099. *can.* 15. *col.* 963.

Anno Christi 1126. Barcinonae Comitia generalia celebrata sunt, in quibus forma adsignata est, qua Ecclesiae sine earum fraude et absque contribuentium periculo Decimas capiant. Mansi *tom.* 21. *col.* 342. In Concilio autem Trecensi anno 1127. can. 10.

Decimas, sicut Dei summi dominicas, ex integro reddi praecipimus. Mansi *ibid. col.*357. In Rotomagensi anno 1128. can. 3. prohibetur, *ne Monachi vel Abbates Ecclesias seu Decimas de manu laicorum recipiant*. ibid. *col.* 376. Pariter in Palentino an. 1129. can. 16. jubetur, quod *Laici Tertias Ecclesiarum, seu quascumque Oblationes, nulla occasione possideant: sed in dispositione episcoporum cuncta, quae fuerint Ecclesiarum, habeantur*. ibid. *col.* 387. Tertia dicebatur in Hispania tertia pars Decimarum, quae restaurandis Ecclesiis dicata erat, quae multoties a summis Pontificibus fuit deinde Hispaniae Regibus concessa ob Maurorum bella. Thomassin. *part.*3. *lib.* 1. *cap.* 44.

Jam vero etiam oecumenicum Lateranense Concilium sub Innocentio secundo anno 1139. can. 10. providit, ne abusus retinendi, aut usurpandi Decimas apud laicos diutius irreperet. *Decimas Ecclesiarum, quas in usus pietatis concessa esse canonica demonstrat auctoritas, a laicis possideri Apostolica auctoritate prohibemus. Sive enim ab episcopis, vel regibus, vel quibuslibet personis eas acceperint, nisi Ecclesiae reddiderint, sciant se Sacrilegii crimen committere, et periculum aeternae damnationis incurrere*. Mansi *tom.*21.

col. 528. Innovatur fere eisdem verbis haec prohibitio in Concilio Remensi an. 1148. *can.* 8. *ibid. col.* 716. Usurpationes Decimarum in causa fuerunt, cur in Concilio Abrincatensi, in quo Henricus secundus Rex Angliae denuo absolutus fuit a sacrilega nece S. Thomae Cantauriensis, Legati Cardinales inter caetera Decreta promulgarunt num. 8. *Item de tertia parte Decimarum nihil presbytero, qui servit Ecclesiae, auferatur.* num. 9. *Item his, qui Decimas haereditario jure tenent, licentia sit, cui voluerint, idoneo clerico dare, eo quidem tenore, ut post eum ad Ecclesiam, cui de jure competunt, revertantur.* Mansi *t.* 22. *col.* 140. In Londoniensi an. 1175. sub Alexandro tertio can. 13. *Omnes Decimae terrae sive de frugibus, sive de fructibus, Domini sunt, et illi sanctificantur. Sed quia multi modo inveniuntur Decimas dare nolentes, statuimus, ut juxta Domini Papae praecepta admoneantur semel, secundo, et tertio, ut de grano, de vino, de fructibus arborum de foetibus animalium, de lana, de agnis, de butyro, de caseo, de lino, et canape, et de reliquis, quae annuatim renovantur; Decimas integre persolvant: quod si commoniti non emendaverint, anathemati se noverint subjacere.* Mansi *tom.* 22. *col.* 150.

Excessibus super detentione, et usurpatione Decimarum se opposuit etiam generale Lateranense tertium sub Alexandro tertio an. 1179., quod Can. 14. ait: *Prohibemus etiam, ne laici Decimas cum animarum suarum periculo detinentes, in alios laicos possint aliquo modo transferre. Si quis vero receperit, et Ecclesiae non tradiderit, Christiana sepultura privetur*. Mansi *tom.*22. *col.*226. In collectione autem, quae pro Appendice ejusdem Concilii descripta reperitur apud Mansi, et quae prodiit in lucem per Bartholomaeum Laurens, Poin cognominatum, habentur in parte quarta quaedam capitula de Decimis praestandis, quae fere omnia in tertio Decretalium tit. 30. referuntur, et Alexandro tertio adscribuntur. Mansi ibidem *col.*281.

Clemens tertius Fidelibus in Vianensi Provincia constitutis, ut habetur in compilatione ejus Decretorum edita a Mansi in Append. ad Miscellan. Baluzii tom.3., scripsit. *Sicut Sancti Patres in suis tradiderunt Scripturis; de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, et negotiatione, de ipsa etiam militia et de venatione, et de omnibus bonis Decimae sunt Ministris Ecclesiae tribuendae, ita etiam ut qui eas solvere neglexerint, Ecclesiasticae debeant districtione compelli*.

Praeterea si quis Domino Decimas non dederit, quae sunt tributa egentium animarum, et ex debito requiruntur, ad decimam partem, ut docet Augustinus, revocari meretur. Volumus igitur, et districtione praecipitur, quatenus antequam deducatis de cunctis vestris bonis collectis expensas, salvis privilegiis Ecclesiae Romanae, Decimas, ad quos pertinent, cum integritate debita persolvatis. Haec Decretalis refertur c. 22. de Decimis; sed ibi adscribitur Caelestino tertio. In Concilio Rotomagensi D. Walteri Archiepiscopi an. 1189. can. 23. extant circa Decimas eadem decreta, quae supra in Londoniensi retulimus. Mansi *tom.* 22. *col.* 585. De Decimis persolvendis integre, et nullis ex fructibus subtractis expensis, extat etiam Decretalis Caelestini tertii. cap. *Ex parte* 21. de decimis, et Mansi ibidem *col.*635. Hoc intimatur pariter in Concilio Eboracensi anno 1195. can. 8. *Cum Decimae sint tributa egentium animarum, et ex praecepto Domini dari debeant, non est reddentis eas diminuere. Statuimus itaque, ut de his quae renovantur per annum, cum omni integritate Decimae debitae et consuetae conferantur, ut in primis Decimae absque ulla diminutione Ecclesiae dentur, postmodum de novem partibus mercedes messorum et aliorum*

serventium pro arbitrio solvendis tribuantur. Mansi ibidem *col.* 654. Dalmaticum Concilium anno 1199. can. 3. jubet, *ut Decimae, seu Oblationes Fidelium tam pro vivis, quam pro defunctis, in quatuor partes dividantur, quarum una sit Episcopi, alia ecclesiarum, tertia pauperum, quarta clericorum*. ibidem *col.* 702. Plura de Decimis renovat Londoniense anno 1200. can. 9., et detentores anathematis vinculo feriri jubet. Ait autem Concilium; *Deo et Sacerdotibus Dei Decimas dandas Abraham factis, et Jacob promissis insinuasse, et auctoritatem veteris, et novi testamenti, nec non et Sanctorum patrum statuta declarasse*. ibidem *col.* 718. Hujusmodi praeceptum indicit Avenionense anno 1209. can. 5. ibidem *col.* 787. In Parisiensi anno 1212. *In Decimis reddatur Ecclesiis decima portio cum integritate. Qui non reddiderint, excommunicentur*. ibidem *col.* 853.

Concilium Lateranense quartum oecumenicum sub Innocentio tertio anno 1215. cap. 54. praescribit, ut Decimae ante tributa solvantur, et rationem assignat. *Cum autem in signum universalis dominii, quasi quodam titulo speciali sibi Dominus Decimas reservaverit: nos et ecclesiarum dispendiis, et animarum periculis obviare volentes, statui-*

mus, ut in praerogativa dominii generalis exactionem tributorum et censuum praecedat solutio Decimarum: vel saltem hi, ad quos census et tributa indecimata pervenerint, quoniam res cum onere suo transit, ea per censuram ecclesiasticam decimare cogantur Ecclesiis, quibus jure debentur. Mansi *tom.* 22. *col.* 1042. Sed ejusdem Innocentii tertii omittenda non est Decretalis cap. *Tua nobis* 26. de Decimis, data Episcopo Vercellensi an. 1210. in qua quum jubeat Decimas solvere sine deductione seminis, et expensarum, rationem sequentibus verbis adducit: *Cum enim Deus, cujus est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo, deterioris conditionis esse non debeat, quam Dominus temporalis, cujus statutum de terris, quas exhibet aliis excolendas, non quidem deductis sumptibus aut semine separato, necessario cum integritate persolvitur; nimis profecto videtur iniquum, si Decimae, quas Deus in signum universalis dominii sibi reddi praecepit, suas esse Decimas et Primitias asseverans, occasione praemissa, vel excogitata magis fraude, diminui valeant: cum Deo debita sit solutio Decimarum, in tantum ut ad eas clericis exhibendas, quibus eas ipse pro suo cultu concessit, laici si moniti reddere nolue-*

rint ; ecclesiastica sunt districtione cogendi. Et cum de cunctis omnino proventibus Decimae sint reddendae, sicut colonus de parte fructuum, quae sibi remaneat ratione culturae, sic et Dominus de portione, quam percepit ratione terrae, Decimam reddere sine diminutione tenetur. Pretextu vero nequitiae Clericorum, nequeunt eas, nisi quibus ex mandato debentur, pro suo arbitrio erogare : cum nulli sit licitum, aliena cuiquam concedere praeter Domini voluntatem. Ex qua Innocentii tertii Decretali plura eruuntur. Primo, Deum praecepisse sibi Decimas et Primitias solvi in signum sui universalis dominii. Secundo, Deo ipsi debitam esse Decimarum solutionem. Tertio, ipsum Deum suas Decimas Clericis exhibendas pro suo cultu concessisse. Quarto, laicos proinde debere Clericis praestare Decimas, ut mercedem pro eorum Ministerio a Deo super fructibus sibi reservatis assignatam. Quod et ea, quae ab initio affirmavimus, confirmat, et ad reliqua, quae subinde dicemus, viam praeparat. Idem Innocentius tertius *ep.* 161. *lib.* 1. praecepit, ut Nobiles Achaje Decimas suas solverent, sicut ex communi jure, et speciali quoque voto tenebantur.

Superfluum esset, post haec tempora

omnia Concilia, et Constitutiones recenseare, in quibus praeceptum de Decimis, et earum quota renovatum fuit. Quare, ne lectorem taedio afficiamus, aliqua tantum indicare successive per temporum seriem contenti erimus. Constitutio Riccardi Poore Sarum Episcopi circa annum 1217. cap. 31. Mansi *tom.*22. *col.*1117. Concilium Parisiense anno 1223. can. 17. ibidem *col.*1200. Scoticum Concilium anno 1225. per plures canones scilicet a. 34. usque ad 45. Gregorii noni Decret.41. Mansi *tom.*23. *col.*123. Constit. Wilielmi de Bleys anno 1229. cap. 15. et 16. ibidem *col.* 180. Statuta S. Ludovici cap. 9. jubent: *Decimae sane, quibus fuit Ecclesia longo tempore per malitiam inhabitantium defraudata, statuimus, et ordinamus, quod restituantur Ecclesiis, et amplius laici Decimas non detineant, sed Ecclesiam eas libere habere permittant*. ibidem *col.*186. Constitut. S. Edmundi Cantauriensis Archiepiscopi circa annum 1236. cap. 40. ibidem *col.* 427. Trevirense Concilium anno 1238. can. 32. ibidem *col.*483. Wigorniense anno 1240. can. 44. et sequ. ibidem *col.* 540. Pariter plura constituta inveniuntur in Eboracensi anno 1250. ibidem *col.* 790. Insulanum autem anno 1251. can. 5. statuit: *Item de Decimis*

excommunicationi subiicit ibidem. *col.* 1124., et Concilium apud Pennam Fidelem a Toletanae Provinciae Praesulibus celebratum anno 1302. can. 7. Mansi *tom.* 25. *col.* 103. Sepulturam Christianam denegat Concilium Nugaroliense anno 1303. can. 10. detentoribus Decimarum, et eorum filiis, uxoribus, et familiae. ibidem *col.* 114. De Decimis praedialibus ordinationem statuit Trevirense anno 1310. can. 24. ibidem *col.* 256. Concilium Palentinum anno 1322. can. 11. providet super fraudibus, quas committebant religiosi in solutione Decimarum cum Dioecesanis praelatis. ibidem *col.* 707. Marciacense anno 1326. Decimarum detentoribus poenas infligit can. 28. ibidem *col.* 786., item Londinense anno 1328. can. 7. impedientibus Oblationes, et Decimarum collectionem. ibidem *col.* 832. Tarraconense vero anno 1329. cap. 44. et 45. quosdam abusus in solutione Decimarum adhibitos prohibet, et decernit Saracenos solvere debere decimas, et primitias de novalibus. ibidem *col.* 856. Beneventanum de Decimis providet anno 1331. cap. 43. et 44. et 45. ibidem *col.* 959. Rotomagense anno 1335. jubet, ut non impediantur Ecclesiastici Decimas colligere. can. 6. ibidem *col.* 1042., item Salmanticense plura

decernit anno 1335. cap.5. ibidem *col.* 1050. pariter Avenionense anno 1337. cap.41. ibidem *col.* 1098., Londinense an.1342. cap.4. ibidem *col.* 1172., Parisiense an. 1346. cap. 12. Mansi *tom.* 26. *col.* 22. Florentinum eodem anno ibidem *col.* 48. Dubliniense anno 1348. cap. 1., in quo dicitur, quod *Dominus Decimas in signum universalis dominii sibi reservavit, et reddi praecepit, et pro suo cultu eas Clericis, et Ministris Ecclesiae assignavit, et concessit*. ibidem *col.* 109.

In Concilio Nicosiensi celebrato ab Helia Archiepiscopo cum suffraganeis suis anno 1340. legitur Statutum primum *de Decimis integre solvendis*; in quo aliae antiquiores constitutiones pariter de Decimis adducuntur; et infligitur poena excommunicationis ipso facto a detentoribus incurrenda, et obduratis, et impoenitentibus privatio ecclesiasticae sepulturae, *cum vix umquam Ecclesia valeat percipere, quod est suum*. Mansi *tom.* 26. *col.* 376. *et sequ.* Pariter eadem poena excommunicationis indicitur non solventibus Decimas in Concilio Eboracensi cap. 5. anno 1367. ibidem *col.* 465. *et sequ.* Concilium Vaurense anno 1368. can. 69. determinat *de quibus rebus vera Decima exsolvatur, consuetudine quavis non obstante*. ibi-

dem *col.* 516. Sic etiam pluribus capitibus Cracoviense in Polonia anno 1369., ubi raptoribus Decimarum excommunicatio indicitur. ibidem *col.* 552. *et sequ.*, *et col.* 555. *et sequ.* Londinense vero anno 1399. cap.25. providit abusui expensarum, quas pro Decimarum asportatione impendere adigebantur beneficiati. ibidem *col.* 926.

Martinus quintus damnavit propositiones Wicleffi, inter quas 18. dicit. *Decimae sunt purae eleemosynae, et possunt parochiani propter peccata suorum praelatorum ad libitum eas auferre.* Mansi *tom.* 27. *col.* 1208. Theologi a Constantiensi Concilio deputati ad examinandas Wicleffi propositiones dixerunt. *Pro prima parte est falsa et erronea, et contra determinationem Ecclesiae universaliter intellectam.* Sic in brevi censura. Mansi *tom.* 28. *col.* 65. In diffusa autem condemnatione haereticum vocant hunc articulum; et prolatis Scripturae locis, in quibus dicitur, Deum Levitis suas decimas assignasse, subjungunt. *Ex his, et aliis clare patet, quod Decimae sint divini juris, sint Oblationes Deo sacrificatae non ad libitum hominum, sed ex praecepto et lege divina ad jus et possessionem Cleri pertinentes per Mandatum Dei, a manu et potestate laicali separatae in usus et neces-*

saria Cleri . Sunt itaque Decimae Oblationes , quae secundum legem divinam sunt ad honorem Deo offerendae , et sorti suae puta Clero , non ut indigentiori et abjectiori , sed ut majori ac digniori in hac parte tribuendae , ut possessio ejus sibi debita , juste et divini juris titulo , et ut pretium justum pro ministerio in Sanctuario Domini . Deinde : *Nec populus Christianus tenetur minus Decimas Deo , quam Iudaicus , sed magis .* ibidem *col.* 108. *et sequ.* Igitur confirmant , quod ab initio proposui , scilicet Decimas esse Oblationes , et quidem Deo datas , quas Deus ipse in veteri lege , et nunc Ecclesia , ut divinae voluntatis interpres , et divinorum jurium administratrix, assignavit Clero , veluti mercedem et stipendium pro ministerio in Sanctuario Dei . Et quia Wicleffi error adhuc in aliquibus partibus serpebat , Concilium Parisiense an.1429. can.31. hoc decretum protulit . *Querimoniam plurimorum religiosorum , ac aliorum Ecclesiasticorum audivimus , quod licet Dominus in veteri testamento districte praecipit , perceptorum fructuum Ecclesiae ministris Decimas tribuere , tamen his nostris temporibus easdem diminuere conantur , ut jam ex his aliqui dicant , et asserant , Decimalia jura , non nisi ad voluntatem fore solvenda , propter quod Ec-*

clesiae, et earum Ministri maximum damnum patiuntur. Quapropter jubet populum admoneri, omnes, qui ad solutionem Decimarum tenentur, quod ipsi amodo illas solvant sine fraude, et deceptione qualibet, ulla contraria consuetudine non obstante, cum de omnibus fructibus quibuscumque, ubicumque, et in quocumque loco sint, ad illas solvendas sub damnationis poena ex Dominico praecepto teneantur. Mansi *tom.* 28. *col.* 1111.

Jam vero ad perspiciendam Ecclesiae mentem, et institutionem circa Decimarum naturam, et solutionem, satis erit ad exposita Tridentini Concilii decretum addere. Ait igitur sess. 25. cap. 12. de Reform. *Non sunt ferendi, qni variis artibus Decimas Ecclesiis obvenientes subtrahere moliuntur, aut qui ab aliis solvendas temere occupant, et in rem suam vertunt, cum Decimarum solutio debita sit Deo; et qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Praecipit igitur Sancta Synodus omnibus cujuscumque gradus, et conditionis sint, ad quos Decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de jure tenentur, in posterum Cathedrali, aut quibuscumque aliis Ecclesiis, vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvant. Qui vero eas subtrahunt, aut impediunt, excommuni-*

centur, nec ab hoc crimine nisi plena restitutione secuta, absolvantur.

Superfluum esset et molestum, plura congerere ad ostendendum, quae fuerit Fidelium, Doctorum, et Ecclesiae mens circa naturam, et obligationem Oblationum, Decimarum, et Primitiarum. Quare ut ad propositum meum, praejactis fundamentis, descendam, plures theses, sive propositiones statuam, quarum veritas post exposita a quibuscumque fere intuitive cognoscatur. Itaque sit

I. Deo supremo rerum omnium Domino, et temporalium bonorum auctori, conservatori, et largitori debentur in genere aliquae Oblationes. Hoc probatur ex lege naturali, divina positiva, et ecclesiastica. Et quod ex divina positiva, et ecclesiatica debeantur, jam plusquam satis ostensum est ex auctoritatibus supra adductis. Quod vero etiam ex naturali jure, aut saltem rationis dictamine, patet ex usu ab initio mundi deducto usque ad legem datam per Moysen, ut supra auctoritate confirmavimus.

II. Manifestum fit etiam, Oblationes Deo solvi ex rebus omnibus in recognitionem supremi ejus dominii, et largitionis, et in protestationem etiam gratiarum actionis pro acceptis beneficiis. Hoc autem prae-

stari potissimum ex fructibus terrae, de quibus omnes participes fiunt ad propriam alimoniam, et quorum originem, incrementum, et conservationem Deo referre debemus. At vero fructuum terrae Oblatio maxime in Primitiis, et Decimis usitata fuit, ita ut in Primitiis oblatio exhiberetur Deo quoad qualitatem de melioribus terrae fructibus, in Decimis vero, quoad quantitatem vel quotam, et quidem de rebus omnibus. Hujusmodi usus ex naturalis ratione dictamine emanatum esse dignoscitur, non solum ex praxi apud Dei populum in lege naturae, sed etiam ex gentilium ritibus quoad eorum falsa numina; unde insuper arguendum est, gentiles et idololatras hoc debitum erga verum Deum ante idololatriam ex Noe et ejus familia hausisse; deinde vero ad falsos Deos antiquam institutionem ex errore transtulisse. Igitur ostendendum superest, qualis fuerit etiam apud gentiles primitiarum, et decimarum usus.

Et quoad primos fructus, frugumque primitias, ait Plinius lib. 18. hist. cap. 2. *Non degustabant novas fruges et vina, antequam Sacerdotes Primitias libassent*. Et lib. 12. cap. 14. et 19. Pariter Maximus Tyrius dissert. 14. num. 85. Agricolas ab hac religio-

sitate collaudat Porphyrius lib. 2. de abstinent. Audi Simplicium in cap. 38. Epicteti. *Aeternarum rerum, quas Deus dederit, Primitias offero; nam jus fasque postulat iis offerri primitias, qui dederunt, non quod his egeat Deus (neque enim probitate nostra eget, neque rectis de se opinionibus) sed nos per haec pro ea mensura, quae nobis convenit, illustrationis Divinae facti capaces Deum suscipimus*. Ovidius lib. 2. Fast. *Primitias Cereris farra referta dabant*. Tibullus lib. 1. eleg. *Et quodcumque mihi pomum novus educat annus, libatum agricolae ponitur ante Deo*. Pariter Apulejus in apol. Horatius l. 3. ode 22. Porphirius in libel. de abstin. animal; Suidas verbo *Hermayen*. Vide Gonzalez in 3. decret. tit. 30. c. 1. Censorin. de die natal. c. 1. Apud Graecos festa anniversaria Deorum primitiis et libationibus celebrabantur. *Sanctio aeterna Atticam incolentibus, quae in omne tempus rata habeatur, Deos honorare, et Heroes indigenas communiter secundum leges patrias, ac privatim pro virili, cum fausta apprecatione, fructuumque Primitiis, et libis anniversariis*. Ita a Dracone et Solone praeceptum fuerat. Circa Decimas vero, apud Gentiles etiam receptas fuisse quoad earum praestationem, constat ex Diodoro Siculo lib. 5. Plutarc. pro-

blem. c. 16. Herodoto lib. 1. Plinio lib. 18. c. 2. et lib. 19. c. 14. Xenophont. de laudib. Agesilai, qui refert ipsum oraculi jussu templum Dianae construxisse, ubi et annuam Decimam consecravit ex fructibus terrae. Vide Gonzalez tit. cit. in c. 7. num. 3. Cornel. a Lapide in Numer. cap. 18. vers. 32. Negociatores Arabes nunquam commisissent, ut thuris aliquid venderent, non soluta Decima Deo Sabi. Plin. lib. 12. cap. 14. Scribens ad Solonem Pisistratus, ut rediret Athenas, ideo potissimum suadere conatus est, quod Athenienses Decimam proventuum suorum conferrent offerendis in Deos sacrificiis. Laert. lib. 1. Vide etiam Calmet supplement. ad Dictionar. Biblic. v. *Decimae*; et Baron. ad an. Christ. 57. num. 74., et Azorium Instit. Moral part. 1. lib. 7. de tertio Eccles. praecepto.

III. Ex dictis deducitur, quod ipsum naturalis rationis dictamen docet, aliquas decimas et primitias offerendas Deo, quem solum verum et unicum supremum Numen, et bonorum Auctorem nos lumine fidei illustrati agnoscimus. Itaque quum Judaeis Dominus praecepit, ut sibi primitias, et decimas offerrent, positive declaravit, quomodo terrae fructuum oblationem sibi praesta-

ri vellet circa modum, tempus, et quantitatem. Atque haec lex taxativa cessavit quidem cum veteri lege; sed permansit in suo vigore naturalis lex. Praeceptum autem Dei positivum esse debebat quasi regula ab ipso Deo proposita Ecclesiae, ut deinde quotam in Dei honorem, et cultum praestandum, pro temporum, et locorum circumstantiis determinaret. Quare denique concludendum. Oblationes in genere maxime de fructibus terrae esse perpetuam, et irrevocabilem naturae legem, aut certe dictamen, et impulsum. Oblationes autem in specie Decimarum, et Primitiarum, esse quidem conformes naturali dictamini, sed tamen quoad quantitatem, et modum, et usum, ex positiva lege determinandas esse, et statuendas, ut in conscientia obligent. Nisi enim accederet positivum praeceptum, satisfecissent homines naturali obligationi, si de fructibus terrae Oblationes Deo juxta propriae substantiae mensuram praebuissent. Haec autem esse potuisset aut decima, aut vigesima, aut trigesima, et etiam minus, juxta cujuscumque conditionem, et statum. Quare jam ex communi consensu resoluta est quaestio, quae diu viguit inter Canonistas, et Theologos, scilicet an decimae sint in Ec-

clesia de jure divino, vel humano. Etenim, ut ait Cardinal. de Petra *in Constit.* 6. *Honorii III. num.* 23. *et sequ. Comment. tom.*2., praeceptum solvendi decimas secundum rationem formalem, scilicet ad recognoscendum supremum Dei dominium, et ejus cultum conservandum in locis, et ministris, semper duravit, et durat; secundum autem rationem materialem, quatenus determinat quotam, partem scilicet decimam fructuum, est in Ecclesia variabile, et realiter varium fuit. Et ratio est, quia secundum rationem formalem hoc praeceptum est morale, secundum autem materialem rationem caeremoniale, et judiciale dici debet, ideoque secundum hanc rationem non est in nova Lege praeceptum positive divinum. Vide etiam Azorium loc. cit. *de tertio Eccles. praecepto*: ubi de hoc ad longum disserit.

IV. Ecclesia igitur neque statim, neque ubique, neque uniformiter de Primitiis, et Decimis in novam legem praeceptum invexit. Abunde suppleverant initio Fidelium oblationes, quae sponte ad Ecclesiam deferebantur, et deinde accessit immobilium bonorum oblatio, a quibus, quaecumque ad Dei cultum necessaria essent, depromebantur, et quorum redditibus Fidelium com-

munitas magna ex parte de suo oblationum erga Deum debito exonerabatur. Sed tamen ubicumque, et quotiescumque Ecclesia de primitiis et decimis leges constituit, eas dari tamquam Deo debitas sancivit. Hanc formam per successivam seriem usque ad Tridentinum Concilium jam supra adnotavimus. Neque vero negotium pro hoc particulari facessere debet, si Theologi decimas et primitias inter Oblationes Deo factas non retulerunt. Si enim attente eorum sententia perpendatur, fere nihil aliud dicere voluerunt, nisi quod in praesenti Ecclesiae praxi oblationes a decimis et primitiis distinguuntur, quatenus oblationis nomen, quod est genus, translatum est ex usu ad illam tantum oblationum speciem, quae ad altare a Christi Fidelibus deferebatur, sponte, et nulla praescripta quantitate; decimae autem et primitiae oblationis nomên non retinuerunt, quatenus ex praecepto, et juxta praescriptam mensuram, persolvi Dei Ministris ab Ecclesia jussum fuit. Hinc est, quod sub oblationibus comprehendantur etiam omnia munera, et dona, quae fideles in vita, vel per mortem donant Ecclesiis, aut piis locis, etiam si non in templo, nec in Missa Deo offerantur. Et in hac ampla significatione vi-

detur D.Thomas de oblationibus loqui, quum 2. 2. *qu.* 87. *art.* 2. inter oblationes ponit, *cum aliquis offert donatione inter vivos, vel testamento relinquit Ecclesiae aliquam rem mobilem, vel immobilem in posterum solvendam*. Quod confirmatur ex chartis donationum, quae passim apud antiquorum diplomatum collectores inveniuntur, et quae saepe incipiunt: *Offero Deo ec. Offero B.Mariae ec.* Vide Annal. Benedict. et Camaldulenses; Spicileg. d'Achery; Auberti Miraei Oper. diplom., Murator. Antiquit. Italic., Martene Collect.Scriptor., et Monastic. Anglican., et Sammart. Gallia Sacra. Caeterum non dubitandum, quod decimae etiam et primitiae inter oblationes Deo factas computari debeant, saltem quando per modum largitionis,non per modum contributionis deferuntur. Etenim ut ait Cardin. de Petra *Comment. tom.* 2. *in Constit.* 1. *Anastas.* IV. *num.* 3. nomenclaturam oblationis ostendit nomen ipsum ab offerendo desumptum, quod per se comprehendit omnem actionem, qua res aliqua ad divinum cultum destinatur, ideoque etiam decimas et primitias, quatenus Deo offeruntur.

Aliam etiam distinctionem inter oblationes induxerunt theologi. Hanc ex Francisco Suarez potissimum desumam, qui *de re-*

*lig. vol.*1. *l.*1. *de divino cultu cap.*3. *num.* 2. sic habet. *Haec vero oblatio ulterius dividi potest; nam quaedam offeruntur Deo ipsi immediate, tamquam illi, cui directe donantur, etiam si postea cedant in aliquem hominum usum, ut sunt multa ex his, quae in Ecclesia, vel in altari offeruntur; alia offeruntur Deo tamquam ei, propter quem donantur, proxime vero, et directe donantur Ministris ejus, ut fit in decimarum solutione; sed illae communiter non censentur proprie oblationes:* et ita *D. Thomas* 2. 2. *qu.* 85. *art.* 3. *ad* 3. dixit, *decimas non esse oblationes*. Verumtamen animadvertendum est, quod D. Thomas loco citato Primitias inter oblationes numerat. Ait enim: *Primitiae autem oblationes sunt, quia Deo offerebantur, ut legitur Deut.* 26. *Non autem sunt sacrificia, quia nihil sacrum circa eas fiebat. Decimae autem proprie loquendo non sunt sacrificia, neque oblationes, quia non immediate Deo, sed Ministris divini cultus exhibentur*. Igitur observationem ad solas decimas avocabo. Ubi notandum judico, quod quaestio potius de nomine esse potest, quam de re; et quod praeterea si decimae sub diverso respectu considerentur, et oblationes dici debent, et non debent. Etenim primo, quamquam decimae imme-

diate Deo non persolvantur, tamen, ut dictum est, Deo in suis ministris persolvuntur, quia ipsis dantur propter Dei cultum. Unde fit, quod Decimarum persolutio quoad actum externum sit facta Ministris, quoad autem actum internum voluntatis principaliter sit facta Deo, sive in cultum Dei; atque proinde si decimarum solutio consideretur quoad objectum voluntatis, a quo illa actio specificatur in ratione actionis religiosae, dici debet facta Deo. Etenim, ut ait ipse D. Thomas 1. 2. qu. 18. art. 6. *Finis autem proprie est objectum interioris actus voluntarii: id autem, circa quod est actio exterior, est objectum ejus. Sicut igitur actus exterior accipit speciem ab objecto, circa quod est, ita actus interior voluntatis accipit speciem a fine, sicut a proprio objecto.* Unde vides, quod in solutione decimarum Ministri sunt objectum materiale, Deus autem, sive Dei cultus est objectum formale, quia ut prosequitur D. Thomas, *actus humani species formaliter consideratur secundum finem, materialiter autem secundum objectum exterioris actus.* Et fit ulterius, quod Decimae immediate et directe persolvantur Ministris quoad materiale, directe autem et immediate persolvantur Deo quoad formale, sive quoad

voluntatis intentionem, quae constituit illam decimarum solutionem in esse actus religiosi. Quod maxime considerandum est ad propositum nostrum. Nisi enim decimarum solutio intelligatur esse facta Deo, et in ejus cultum, non posset esse actus religionis, qualiter ab omnibus consideratur, quia de essentia actus religionis est, ut in Dei cultum referatur, sive quomodo ajunt, ut Deus sit illius actus objectum *cui*. Suarez *de relig. vol.*1. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 8. *et* 9: *et lib.*1. *de divino cultu cap.*9. *num.*1. ubi ait: *Praeceptum hoc* (decimarum) *ad religionis virtutem pertinere, supponit D.Thomas* 2.2. *qu.*87. *et cum eo Theologia omnis*. Neque pariter, si id non admittatur, retentio, aut surreptio Decimarum vocari posset sacrilegium, ut passim dicitur a Patribus, Conciliis, et Decretalibus. Quibus omnibus inspectis et consideratis dubitari nequit, decimarum solutionem Deum respicere, et fieri Deo, quoad principalem rationem hujusmodi actus; ideoque parum referre quoad rem, si dicatur cum D. Thoma, et aliis, decimas non immediate Deo, sed Ministris divini cultus exhiberi.

Dico autem secundo, quod decimae sub uno respectu considerari possunt ut Ob-

lationes Deo immediate exhibitae, et sub alio respectu possunt ita non considerari, ideoque et inter oblationes numerari, et ab iis distingui. Etenim si supra relata auctoritatum series exploretur, manifeste apparebit, quod in lege veteri non minus Decimae quam Primitiae ex ipso Dei praecepto Domini erant, et illi offerebantur. Levit. 27. 30. *Omnes Decimae terrae, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt, et illi sanctificantur*. Quid expressius dici poterat? Quoad vero novam legem vidimus Turonensis Concilii Synodicam anni 567. in qua dicitur. *Illud vero instantissime commonemus, ut Abrahae documenta sequentes Decimas ex omni facultate non pigeat Deo pro reliquis, quae possidetis, conservandis offerre*. Plura deinde similia per subsequentia Concilia notari poterunt usque ad Tridentinum, a quo expresse asseritur, quod *Decimarum solutio debita sit Deo*. Vides igitur, quae fuerit intentio Dei praecipientis, et deinde Ecclesiae ad ejus intentionem suas leges conformantis; scilicet ut non minus Decimae, quam primitiae, sint quoddam veluti tributum Deo praestandum, ut supremo rerum Domino, et Largitori. Quare, si Deus et Ecclesia de earum distributione in Ministrorum usum

non disposuisset, etiam decimae et primitiae immediate Deo exhiberi deberent. Nec quia Deus et Ecclesia eas in Ministrorum usum deputavit, ideo decimae naturam tributi Deo persolvendi exuerunt. Sicuti si Rex vectigalia et tributa sibi debita in suorum Ministrorum mercedem assignet, non ideo cessabunt esse vectigalia et tributa Regi debita, quia ex ipsius jussu in Ministrorum manus, et sustentationem derivant. Et tamen in tali casu dicitur, quod illa pecunia ex tributis et vectigalibus collecta immediate Regiis Ministris persolvitur. Ecce igitur quomodo decimae et sunt oblationes factae Deo, et non sunt illi immediate exhibitae; et relate ad hanc secundam rationem inter oblationes non numerantur, quamvis ex earum institutione et natura vere Deo debeantur.

V. Hoc autem sensim nos adduxit ad considerandum quasi duplex debitum in Christi Fidelibus circa decimas et primitias. Debent enim eas principaliter Deo in ejus cultum, ex institutione ipsius Dei, et Ecclesiae; ideoque non solventes transgrediuntur praeceptum affirmativum ecclesiasticum circa religionis cultum. Debent autem eas secundario Ecclesiae Ministris, quia ipsa Ec-

clesia, ut dominicorum bonorum administratrix, in eorum sustentationem illas assignavit, et a Christianis deferri praecepit, ideoque non solventes justitiam laedunt, quia aliorum jus invadunt, et sibi retinent, quod legitime, et ex praecepto aliis debent.

Unde ait Azorius *loc. cit. de tertio Eccl. praecept.*, *Decima debetur lege justitiae, quoniam Ecclesia jubens decimam dari Clericis, eo ipso talem actum constituit in virtute justitiae, et tribuit Parochis jus exigendi, et percipiendi decimas*. Quod si Ecclesiae praeceptum non extaret, tamen aut terrae fructus, aut aliam aequipollentem mercedem Ecclesiae Ministris persolvere tenerentur Fideles ex commutativa justitia, propter labores ab iis in eorum gratiam, et salutem impensos; unde etiam ex hoc capite non solventes decimas, aut aequipollentem mercedem, graviter delinquunt. Habent itaque Sacerdotes jus ad decimas, et primitias ex duplici titulo, scilicet ex titulo assignationis sibi factae ab Ecclesia, et ex titulo honestae mercedis in sui sustentationem. Ad quod duplex jus mihi alludere videtur Apostolus, ubi ait 1. Corinth. 9. *Quoniam debet in spe, qui arat, arare, et qui triturat in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia semina-*

vimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Ecce igitur una radix decimarum, sive cujuscumque contributionis in Clerum, scilicet debitum, quo Ministris altaris debentur sumptus de ministerio. Et quod debeantur potius in decimis et primitiis, quam in alia re, hoc est ex praecepto et determinatione Ecclesiae. Sequitur Apostolus: *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, de iis, quae de sacrario sunt, edunt? et qui altari deserviunt, cum altari participant*? Ecce altera ratio, seu titulus Cleri in Decimas; quia quum decimae proprie et rigorose debitae sint Deo, sacrario, et altari, ministri, qui ad Dei cultum deserviunt, decimas, quae de sacrario sunt, edunt, et de iis participant. Ubi adde, hoc esse ex ordinatione Dei etiam relate ad novam legem. Subjungit enim Apostolus: *Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*. Hoc optime declaratur ab Innoc. III. cap. *cum secundum* de praebendis.

Est autem etiam alius Decimarum usus, et deputatio facta ab Ecclesia, scilicet in pauperes, orphanos, et viduas. Hoc autem ab initio nascentis Ecclesiae in usu fuisse scimus, ita ut Diaconi eligerentur, et deputarentur in dispensationem eleemosinarum,

quae a Fidelibus in commune afferebantur. Ubi vero extitit deinde constituta lex de Decimis et Primitiis, fuit ex eis, ut vidimus, portio assignata in pauperes. Immo erant aliqua officia Diaconiae nomine insignita, quae Aeconomatus munere pollebant ad recipiendas Decimas, et Primitias, et deinde in pauperes distribuendas, ut supra ex Cassiano, et Sancto Gregorio Magno probavimus. Inde est, quod in cap. *Tua nobis* 26. de Decimis dicitur. *Nec decimas, quae tributa sunt egentium animarum, praesumerent detinere ec.* et cap. *Decimae* 66. caus. 16. quaest. 1. *Decimae tributa sunt egentium animarum*. Nec etiam dubium, ut ait Suarez *lib.* 1. *de divin. cultu cap.* 11. *num.* 7., nec etiam dubium esse potest, quin potuerit Ecclesia imperare Decimas intuitu subventionis pauperum, praeter alia capita, quae per se clarissima sunt, quia haec cura, et sollicitudo pauperum ad spirituale Ecclesiae regimen maxime pertinet, et ideo pastoribus Ecclesiae specialiter commissa est.

VII. Quum autem praeceptum de Decimis et Primitiis circa quotam sit praeceptum positivum ecclesiasticum, evidens est, posse Ecclesiam illud moderari, remittere, et dispensare. Hoc asseritur contra aliquos

Canonistas, qui docuerunt, non posse Summum Pontificem tollere in totum hoc praeceptum, non solum quoad substantiam, sed etiam neque quoad quotam. Verum tamen est solum, non posse Ecclesiam dispensare, aut efficere, quominus ministris ecclesiasticis congrua sustentatio praebeatur; quia hoc esset contra jus naturale, et divinum. *Dignum est enim operarius mercede sua*. Quare si Decimae et Primitiae auferantur, aut etiam alia Bona Ecclesiastica, ex jure naturali et divino deberet alio sufficienti modo provideri Clericis de congrua sustentatione. Pariter tolli non potest per Ecclesiae auctoritatem, quod Deo aliquae Oblationes persolvantur in recognitionem universalis ejus Dominii. Jus enim naturale docet, quod fiat haec recognitio et protestatio per aliquod sensibile signum; et similiter quod fiat per oblationem fructuum terrae, si non est rigorose de praecepto naturali, est saltem juri naturali summopere consentaneum; sed determinatio illius signi per solutionem praecisam decimae partis fructuum, et primitiarum, non potest probari de puro jure naturali. Suarez *lib.* 1. *de divin. cultu cap.* 13. *num.*5. Quare ait D. Thomas 2. 2. *qu.* 87. *art.*1. *ad secundum*. *Dicendum, quod praeceptum deci-*

marum quantum ad id , quod erat morale , datum est in Evangelio a Domino , ubi dicit Matth. 10. *Dignus est Operarius mercede sua , et etiam ab Apostolo , ut patet.* 1. *ad Corinth.*9. , *sed determinatio certae partis est reservata ordinationi Ecclesiae* . Sic etiam ait Azorius loc. cit. de tertio Eccles. praecept. *Auctoritate Pontificia fieri potest , ut Decima in totum non solvatur , dummodo Clericis , et Ecclesiis aliunde subministrentur , quae sunt simpliciter ad vitae usum , et victum necessaria , quod juris naturalis , et divini est , et dummodo aliquid offeratur Deo , ut agnoscatur supremus rerum omnium Dominus , quod jus divinum , et naturale praescribit ; reliquum cum sit tantum juris Canonici, auctoritate Pontificis tolli potest* . Addendum tamen est cum eodem Suarez ibidem *n.*10. *et* 11. quod quamvis absoluta potestate possit Summus Pontifex penitus legem decimarum abrogare , non potest tamen licite id facere in totum , sed solum in particulari , et per dispensationem , quae non auferat praeceptum in totum , et jus commune ecclesiasticum . In hoc , ait Suarez , Canonistis assentior , Theologis non repugnantibus , ut ex declaratione patebit . Nam in primis certum est , talem abrogationem non posse licite fieri , quia non es-

set dispensatio, sed dissipatio redditUum ecclesiasticorum. Deinde hoc cederet in gravissimum, et generale damnum totius Ecclesiae non solum temporale, sed etiam spirituale, nisi aliunde per aequivalentem immobilium bonorum quantitatem suppleretur; quia divinus cultus minueretur, et fere in universum indecenter, vel sine convenienti ornatu et honore fieret. Praeterea ecclesiasticae personae vilescerent, essentque veluti mercenarii operarii laicorum, et ita ab eis contemnerentur, et saepe etiam cogerentur ad Sacramenta indigne tractanda, et de animarum cura non multum solliciti essent, humano et morali modo loquendo, neque in administrando suo munere auctoritatem et libertatem necessariam habere possent. Tandem subventio pauperum, et miserabilium personarum magna ex parte periclitaretur, quarum curam Ecclesia abjicere non potest, nec eis praejudicare in jure, quod legitime aquisiverunt super Decimis ab ipsa Ecclesia etiam in earum subsidium constitutis. Hoc ergo modo, concludit idem Auctor, dico, non posse licite in totum tolli decimas, qui loquendi modus est consentaneus ipsi loquendi modo a Summis Pontificibus adhibito, ut constat ex cap. *Litteras* de restit. spoliat. cum similibus.

Denique posse Ecclesiam, et Summum Pontificem non solum valide, sed etiam licite aliquos eximere a solutione decimarum, per dispensationem, per privilegium, per contrariam consuetudinem, aut eas etiam laicis ipsis applicare, dummodo congrua sustentatio Clericis non auferatur, aut aliunde suppleatur; certum est. Est enim communis assertio, et satis probata ex usu ipso, et praxi Summorum Pontificum; ut colligitur ex cap. *A nobis*, et cap. *Ex parte* de Decimis. De quo videri potest Azorius *in tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 37. *qu.* 6. 7. *et* 8. Et ratio est, quia aliquibus in particulari concedi possunt privilegia sine praejudicio boni communis. Quare tunc solum dici debent illicita hujusmodi privilegia ecclesiastica vel toti communitati, vel aliquibus in particulari concessa, quando cederent in detrimentum Dei cultus, congruae Clericorum sustentationis, et subventionis in pauperes, nec aliunde hoc damnum compensari posset; quamvis illud quoque damnum tollerari posset suadere interdum major ipsius Ecclesiae, et consequenter divini cultus utilitas, vel etiam majoris damni fuga, et evitatio.

VIII. Fieri autem potest casus, ut Decimarum et Primitiarum praestatio in aliquo

loco omnino deficiat, vel numquam inducta fuerit. Quaeritur, ad quid in eo casu tenerentur Fideles? Respondendum, quod si Ecclesia ex immobilibus bonis sibi a Fidelibus elargitis haberet, unde sufficienter et apte ad Dei cultum, Ecclesiarum reparationem, Clericorum sustentationem, et pauperum subventionem providere posset, videtur, quod Fideles rigorose ex praecepto non tenerentur aliquid praestare. Ratio est, quia Fidelium debitum aut ex lege ecclesiastica repeti debet, aut ex naturali et divina. In casu autem proposito suppono, quod lex ecclesiastica aut promulgata non fuerit, aut in vigore non existat propter desuetudinem, vel propter aliquam aliam causam, non reclamante in contrarium Ecclesia. Et tunc, ait D. Thomas 2. 2. qu. 87. art. 1. ad quintum. *Nec tamen sunt in statu damnationis, qui non solvunt in locis illis, in quibus Ecclesia non petit, nisi forte propter obstinationem animi habentes voluntatem non solvendi, etiamsi ab eis peterentur*. Quoad autem legem naturalem et divinam, ea ex duplici capite considerari potest, scilicet ex mercede debita operariis evangelicis, et ex debito contributionis in Dei cultum, et recognitionis ejus supremi dominii. In casu

autem exposito, si majores immobilia bona in Ecclesiam ad hujusmodi fines sufficienter, aut abunde contulerint, et Ecclesia illa bona adhuc possideat, videtur, quod ipsi debitum pro tota communitate persolverint, quae aliunde illis bonis frueretur, nisi a suis majoribus in hujusmodi usum deputata fuissent. Quare ex hoc capite dici posset, quod Fideles tunc ad nihil praestandum tenerentur. Neque tamen per hoc intelligi deberet sublatum praeceptum et consilium de eleemosynis in pauperes, et de pietate in Deum, et in Ecclesiam; quod in quibuscumque circumstantiis pro singulis subsistit, neque unquam in totum aufertur, etiamsi Ecclesia temporalibus bonis abunde afflueret.

At vero si etiam immobilia bona ab Ecclesia deficerent, ita ut redditus aut nullos, aut insufficientes haberet, tunc patet duplicem obligationem in Fidelibus reviviscere. Et primo quoad sustentationem Clericorum ex praecepto naturali, et divino; neque ex mera charitate, aut gratitudine, sed ex positiva justitia. Ratio patet ex dictis, quia ex titulo justitiae debetur merces operariis; quia nemo unquam militat suis stipendiis; quia Dominus ipse dedit Ministris Evangelii ut de Evangelio viverent; quia qui seminat

alteri spiritualia, justum est, ut metat ejus carnalia. Porro haec Clericorum sustentatio desumi debet ex eorum numero, ut determinetur quantitas stipendii, quam Fideles contribuere debent in eos distribuendam. In numero autem Clericorum, qui a Fidelibus sustentandi sunt, manifestum est, quod ii omnes comprehenduntur, qui praeter majores Praelatos spiritualia Fidelibus administrant, et quibus ipsi Fideles indigent, ut in Dei cultu, et in via mandatorum ejus dirigantur. Quare non solum Parochi in hoc numero computandi veniunt, sed ii omnes, qui eis in evangelico ministerio propter Fidelium utilitatem, et necessitatem in spiritualibus cooperantur. Hic autem numerus ab Ecclesia solummodo taxari debet. Est enim sola Ecclesia judex legitimus de necessitate spirituali Fidelium, et de numero instrumentorum, quibus opus est ad eorum salutem. Et inde patet, quod consequenter sola Ecclesia praescribere potest Fidelibus quantitatem stipendii in Clerum subministrandam, et quod nisi ultro et sponte Fideles necessaria in Clerum suppeditent, possunt ab Ecclesia per spirituales poenas adstringi. Sicut enim in viarum, pontium, et similium, quae ad publicum commodum et

bonum civile aut politicum inserviunt, constructione aut reparatione, iis Magistratibus parendum est, quoad quantitatem operariorum, et contributionis, quibus a Principe ea cura demandata est, et qui praefecti fuere ad judicandum de qualitate, et necessitate operis, ita etiam in necessitatibus spiritualibus iis obediendum est, qui a Deo ipso Fidelium directioni praepositi sunt, et quibus solis ex officio prospicere incumbit, quantus Operariorum numerus, et laboris instantia necessaria sit ad illum finem consequendum. Neque officit, quod Ecclesia de temporalibus disponendis directe auctoritatem et jus non habeat. Satis est ad illud, de quo loquimur, ut jus habeat praecipiendi, et determinandi pro Fidelibus id, ad quod ex lege naturali et divina tenentur, et de quo soli Ecclesiae judicium quoad forum conscientiae Dominus Jesus Christus reliquit. Inutile autem fuisset, si Christus Ecclesiae auctoritatem donasset, et obligationem imposuisset dirigendi Fideles ad finem salutis, nisi Ecclesia ipsa posset etiam media ad eundem finem praescribere, sive haec sint media spiritualia, sive sint temporalia. Cuicumque enim imponitur aliquod munus exequendum, opus est, ut eidem suppeditentur omnia me-

dia necessaria ad finem. Et si hoc non concedatur, neganda foret Ecclesiae potestas jubendi circa plura moralia praecepta. Non enim posset Ecclesia leges praescribere. v.g. de restitutione, et quid, cui, quomodo, in quibus casibus restituendum; neque similiter circa contractus, et alia hujusmodi, quae perficiuntur per res temporales, per pecuniam, aut per merces; haec enim directe ejus dispositioni non subjiciuntur. Sed ne fucum faciant hujusmodi difficultates, semper ad manus habenda est haec distinctio, quod Ecclesia ex eo, quod non polleat directa auctoritate in res civiles et politicas, ideo non habet dispositionem, determinationem, imperium, et vim coactivam circa eas in foro civili et politico, sed quia aliunde ex divina institutione possidet jus circa spiritualia, ideo etiam de omnibus determinare, et praecipere potest, quae tamquam media utilia, aut necessaria ad spiritualia, et spiritualem finem referuntur, non quidem in foro civili, sed in foro spirituali, et conscientiae, ita ut inobedientes hujusmodi Ecclesiae praeceptis vere rei constituantur in foro conscientiae apud Deum; sicut inobedientes mandatis Principum rei declarantur in foro politico, et civili. Et

sicut ad potestatem civilem spectat cognitio, et judicium de transgressione in legem politicam et civilem; ita potestati Ecclesiasticae competit cognitio, et judicium de peccato, sive de transgressione legis divinae, et ecclesiasticae; et sicut civilis potestas directe jus habet ad poenas temporales constituendas et infligendas; ita habet Ecclesia ad poenas spirituales. Et hoc est, quod ipse Joannes Gersonius spirituali potestati non nimium certe addictus, tamen ultro et sponte fatetur, ubi ait. *Tract. de potest. Eccles. consider.* 12. *Potestas Ecclesiastica Papalis non ita habet dominia et jura terreni simul, et caelestis imperii, quod possit ad libitum suum de bonis Clericorum, et multo minus Laicorum disponere, quamvis concedi debeat, quod habet in eis dominium quoddam regitivum, directivum, regulativum, ordinativum*. Pariter Defensor auctoritatis saecularis, qui sub nomine Militis loquitur in tractatu de utraque potestate saeculari et ecclesiastica, qui *Somnium Viridarii* est inscriptus, et compositus fuit ab Officiali regio in occasione dissidii inter Bonifacium VIII. et Philippum Francorum Regem, sic loquitur. *Concedendum est, quod Principatus Papalis concernit temporalia, prout de necessa-*

rio concernit spiritualia, *cum ab eorum usu*, *vel abusu surgit peccatum*. Apud Charlas *de libert. Eccles. Gallican. lib.4. cap. 9. num.4.* Hoc igitur dico quoad potestatem Ecclesiae in hujusmodi casu, si deficerent bona necessaria ad Cleri sustentationem. Non determinante autem Ecclesia de tali quota, tenetur quisque juxta vires et conscientiam suam.

IX. Nunc venio ad alteram partem, scilicet ad debitum Fidelium in supposito casu circa Dei cultum. Et hoc caput extenditur ad omne id, quod ad honestum Dei cultum inservit, seu in aedificiis, seu in utensilibus, seu in festis, et solemnitatibus, et similibus. Manifestum est enim ex supradictis, quod jure naturali homo impellitur ad exhibendum Deo externum cultum, et ad protestandum illi submissionem animi sui, et recognitionem per aliquod sensibile signum. Illa autem signa, quae exhibentur per genuflexiones, v. g. tunsiones pectoris, et similia, non sunt nisi in genere, et sunt signa ostensiva cujuscumque motus interioris in Deum, sive sit submissionis, sive deprecationis, sive poenitentiae. Sed non determinant in particulari recognitionem bonorum temporalium a Deo, pro quibus in

particulari teneri homines relate ad Deum de aliquo sensibili signo, est consentaneum juri naturali, etiamsi non dicatur, quod sit a naturali lege rigorose, et universaliter praeceptum. Non enim in hoc conveniunt Doctores; quamvis difficile admodum sit a naturali praecepto eximere in hac parte omnino homines, qui ab initio mundi usque ad suprema tempora per exercitium oblationum, sive in sacrificiis, sive in decimis, et primitiis, sive in quibuscumque terrae fructibus, ostenderunt se naturaliter facere ea, quae legis sunt. Immo dicerem, quod naturalis praecepti circa oblationes in cultum Dei alia radix considerari potest ex debito cujuscumque non solum in Deum, sed etiam in proximum. Homo enim in societate degens tenetur proximo praebere exemplum suae pietatis et fidei erga Deum; tenetur Deo publice protestari suam fidem et pietatem erga illum; rursus tenetur cooperari cum proximo ad communem spiritualem utilitatem, et necessitatem. Et certe si ex naturali jure quisque obligatur, ut civis particularis, ad cooperandum communi bono civitatis, de quo participat, multo magis quisque Fidelis adstringitur ad coadjuvandum communi bono Ecclesiae, cujus est

membrum, et de cujus bonis particeps est. Hoc autem debitum non adimpleretur, si Fidelis ab oblationibus abstineret, quae necessariae sunt ad Dei cultum, et quae sunt signa particularia protestativa suae recognitionis de temporalibus bonis a Deo acceptis. Immo alii ob ejus exemplum ab oblationibus averterentur; et hoc maxime procedit quoad divites, qui temporalibus bonis magis abundant. Igitur non video, quare dici non debeat, quod a naturali jure saltem aliquo titulo proficiscatur debitum ad oblationes exhibendas in cultum Dei publicum, si aliunde necessaria non suppetant, et si ab hoc debito Fidelium communitas per oblationes a suis majoribus factas magna ex parte non liberetur.

Dubium vero esse non potest ex supra probatis, quod in tali casu Ecclesia praeceptive posset et quantitatem, et qualitatem Oblationum determinare. Idem enim dicendum est circa hoc, quod circa Clericorum stipendium diximus. Quod si Ecclesia hoc non determinet, reliquendum est cujuscumque devotioni, ac pietati id praestare, quod certe non infra proprium debitum sit, cujuscumque attentis viribus, et circumstantiis.

X. Ulterius porro erit quaerendum cir-

ca qualitatem hujusmodi Oblationum , an Fideles suo debito satisfacerent offerendo pecuniam, aut si illi, qui bonis immobilibus potiuntur, tenerentur ad exhibendos Deo in oblationem etiam fructus praediales. De hoc enim secundo dubitari potest. Et ratio est, quia, ut vidimus, ab initio mundi usque adhuc fuit semper apud Fideles Dei haec consuetudo, ut ipsos terrae fructus offerrent sive in sacrificiis, primitiis, et decimis, sive in bonis immobilibus, quae ipsos fructus gignunt. Videtur itaque, quod naturali ratione dictante id constanter observaverint. Et revera, si Patrum et Conciliorum dicta explorentur, quum de decimis et primitiis loquuntur, id omnino rationi consonum invenitur, ut de bonis, quorum elargitionem a Deo homo recognoscit, de iisdem ei retribuat; ita ut species ipsa oblationis in testimonium sit, quid homo facere intendat. Quare in pluribus locis adnotavimus, quod etiam negotiationis, et cujuscumque fructiferae industriae decimas personales Deo offerri majores nostri sanciverunt. Et ideo dicendum, quod hoc sit summopere naturali rationi consonum; nisi dicere velimus, id esse a naturali lege praeceptum saltem in communi, et dummodo aliquae circumstan-

tiae prudentum judicio pensandae non adversentur. Etenim possunt interdum aliquae circumstantiae concurrere, ex quibus non solum in commodum offerentium, sed etiam in ipsius divini cultus utilitatem, pecuniae elargitio potius, quam naturalium terrae fructuum apta sit, ut accidit primis Ecclesiae temporibus.

Addam vero, quod ex supra indicatis rationibus minime approbandum esset, si in communitate Christiana constans, et rationabilis consuetudo usque ab initio mundi deducta penitus quasi per contrarium usum abrogaretur, ita ut de terrae fructibus Deo supremo rerum auctori, et elargitori nemo, aut fere nemo oblationem faceret, aut si ejus Sacerdotibus pecuniarum stipendium tantum praeberetur. Hoc esset Dei Ministros, et ipsum Deum quasi mercenarium facere, et minus pii et obsequentis in Deum animi indicium ostendere. Hoc esset falsis numinibus, et eorum sacerdotibus, quibus gentiles primitias et decimas tribuerunt, veri Dei Sacerdotes, et ipsum Deum post habitum quasi demonstrare. Igitur sin minus a naturali lege praeceptum, certe tamen naturali legi, et divinae consonum erit, si quod non solum Abel, sed etiam Cain verosimi-

liter a patre edocti ab initio mundi naturali dictamine, et divino afflatu ducti fecerunt, ut de terrae et animalium fructibus Deo offerrent; si quod in veteri lege a Deo ipso praeceptum fuit; si quod in Ecclesia vel per consuetudinem, vel per expressam legem, vel per voluntariam oblationem semper servatum est, semper etiam servare Fideles curent, ne gentilibus ipsis deteriores in conspectu veri Numinis appareant.

XI. Alia etiam observatio fieri debet circa eleemosynas pauperibus erogandas. Vidimus enim, quod ab Ecclesiae initio hoc in more fuit apud Fideles, ut in Ecclesia oblationes fierent, quae non solum in Clericorum sustentationem, sed etiam ad alendos pauperes tribuebantur. Quare extabat ad hunc effectum in ecclesiis Gazophilacium, de quo scribit in Apologetico Tertullianus cap. 39. *Haec quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque, et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis, et si qui in metallis, et si qui in insulis, vel custodiis, dumtaxat ex causa Dei sectae, alumni Confessionis suae sunt*. Hoc ipsum S. Crysostomus refert de usu sui tem-

poribus, hom. 43. in 1. ad Corinth., item in epistol. de tradendis Basilicis S. Ambrosius; in litteris ad Alethium Sanctus Paulinus; et alii passim Patres praedicant, et populo commendant, uti apud Auctores supra citatos, quum de antiquis Oblationibus ageremus, facile dignosci potest. Hunc morem esse Apostolicum e Synagoga ad Ecclesiam traductum, advertit Chrysostomus in homiliis super Matthaeum, et Hieronymus in libro adversus Vigilantium. Immo, ut cuique notum est, colligebantur pecuniae in Ecclesia, et ad lunginquas regiones propter Fidelium ibi degentium necessitates mittebantur. De Decimis jam vidimus, quod pauperibus erat pars ab Ecclesiasticis administratoribus juxta universalem consuetudinem adsignata. Similiter servatum fuit ex bonis immobilibus, quae postquam in Beneficia erecta fuere, hoc onus ad Beneficiatos secum detulerunt, ita ut necatores pauperum vocitarentur Clerici, qui ex superfluis redditibus beneficialibus egenis non subvenirent.

Etiam pro defunctis oblationes esse longe antiquissimas affirmat in libro de Corona Militis Tertullianus *cap.* 3., et in libro de Castitate *cap.* 11., et in libro de Monogamia *cap.* 10. Manifestum autem est cui-

cumque, quomodo hujusmodi oblationes numquam in Ecclesia cessaverint, unde legata pia etiam testamento donata originem habuerunt. Quare incongruum, et a christiana pietate omnino dissentaneum dicendum esset, si quod Apostoli instituerunt, quod majores tradiderunt, quod inviolabiliter servavit antiquitas, et Ecclesia ad haec usque tempora incessanter custodivit, aliquando oblivioni daretur. Quidquid de Clericorum infideli administratione objici posset, jam praeoccupatum est ab antiquo Auctore Constitutionum Apostolicarum, qui *l.* 2. *c.* 13. ita inquit. *Tibi laice convenit, ut largiaris. Episcopo vero tanquam aeconomo, et administratori rerum ecclesiasticarum, ut dispenset. Cave tamen, ne Episcopum ad rationes voces, neque dispensationem illius observes, quomodo eam gerat, aut quando, aut quibus, aut ubi, utrum bene, an secus. Habet enim ipse ratiocinatorem Deum, qui hanc illi procurationem in manus tradidit, qui ei Sacerdotium tantae dignitatis mandare voluit.*

XII. Juvat plura ex iis, quae dicta sunt, Joannis Azorii auctoritate confirmare, qui hujus argumenti naturam apprime attigisse mihi videtur. *Instit. Moral. part.* 1. *lib.* 7. *de* 3. *Ecclesiae praecepto*. Ea autem,

quae sparsim de hac materia disserit, summatim, et diverso ordine colligam. Et primo circa Oblationes ait, hoc nomine appellari quaecumque a piis Fidelibus Deo, et Ecclesiae offeruntur, sive res stabiles, sive mobiles sint. Quamvis consuetudine sit receptum, ut oblationes specialiter dicantur, quae altari, quum res divina fit, ab iis, qui Missae Sacrificio praesentes adsunt, offeruntur. Deinde de Primitiis quaerit, an debeantur jure naturali; et respondet, quod Primitiae, quatenus sunt ad usum sacrum, et honorem, ac cultum divinum, naturali jure solvuntur, secus vero jure tantum Pontificio. Pariter certa, et taxata pars Primitiarum Pontificio tantum jure debetur, quamvis juris sit naturalis, ut aliquid in Dei honorem exhibeamus. Addit etiam, Primitias tali nomine vocari, quia sunt primi fructus ex agris percepti, et Deo ut largitori bonorum, et Ecclesiae dati. Refert autem exemplum Cain, et Abel, qui sub lege naturae primitias obtulerunt, et concludit hoc fecisse vel divinitus instigatos, vel suis a parentibus institutos et admonitos, vel naturae instinctu, et impulsu motos. Tertio de Decimis ad idem quaesitum respondet eodem modo, eas jure naturali deberi ac solvi,

quandocumque necessariae sunt ad commodum Parochi victum, vel ad profitendum supremum Dei in res omnes dominatum, et imperium; secus vero non naturali, sed Pontificio jure deberi; et pariter quod pertinet ad certam et definitam quotam juris esse Pontificii, non naturalis. Addit praeterea: decimas, ut saepe dixi, potissimum solvimus, ut agnoscamus, ac profiteamur hisce muneribus Deum esse supremum rerum omnium dominum, cujus imperio sumus subjecti. Deinde, ut quas Deo possumus gratias debitas referamus; sicut gratum animum nostrum beneficiis declaramus iis, qui sunt de nobis benemeriti: et principibus ac regibus non solum tributa pendimus, sed etiam munera offerimus tamquam eorum imperio, dominationi, et potestati subjecti: tributum enim et munus ipsis oblatum nostrae est servitutis indicium, et argumentum, et testimonium. Primitias offerimus, ut testemur Deum esse nostrorum bonorum datorem. Postremo asserit, quod Decimae solvuntur tamquam Clericorum commoda alimenta, tamquam merces laboris, et tamquam debita ministerii ecclesiastici stipendia, et tamquam obsequium debitum Deo, ut supremo rerum omnium domino. Denique quaerit:

An oblationes jure naturali debeantur; et respondet; jure naturali offerri tantum deberi, quantum necessarium est ad Ecclesiae, vel Rectoris indigentiam sublevendam, si in ea versetur, et ad declarandum Deum esse summum rerum omnium dominum.

Haec autem ex capite retuli, cui titulus: *de Primitiis et Oblationibus*: ut ex Azorii sententia etiam Theologorum caeterorum, et Canonistarum mens deprehendatur, quum asserunt, decimas et primitias deberi ex praecepto Ecclesiae in Ministrorum stipendium. Argui enim posset ex hoc, quod unice ad hunc finem debeantur. Vidisti autem, quommodo Azorius duos fines in hujusmodi tributis distinguat, et pro potissimo assignet testificationem supremi Dei Dominii, actionem gratiarum pro ejus beneficiis, et recognitionem divini nostrorum bonorum largitoris. Quare idem de aliorum mente dicendum; non enim hunc praecipuum finem umquam excludunt, sed unice de eo disserunt, ad quem hujusmodi contributiones ab Ecclesia deputatae sunt, quia ad illum dubia in eorum disputationibus proposita referuntur. Caeterum non longe abest eorum mens ab iis, quae huc usque ex Conciliis maxime probavi; scilicet omnes in genere oblationes Deo

exhiberi, et ab ipso per Ecclesiae organum ad Ministrorum usum, et pauperum sustentationem fuisse assignatas, ad exemplum illius dispositionis, quae ab ipso Deo instituta fuit in veteri lege. Unde fit, quod numquam in Ecclesia deficere possint Oblationes quoad substantiam, quin Fideles injustitiae arguantur in Clerum, et inobsequentis ingrati animi in Deum.

Igitur, ut tandem vela colligamus, haec demonstrasse sufficiat. Primo; supposito etiam, quod nullum existeret de Oblationibus praeceptum positivum, expressum, vel divinum, vel ecclesiasticum, nihilominus ex naturali lege tenerentur Fideles Deo offerre de bonis suis in recognitionem ejus supremi dominii, in gratiarum actionem, in cultum ejus publicum, et in stipendia ejus Ministrorum.

Secundo: Est summopere naturali dictamini consentaneum, ut Fideles hoc suum erga Deum officium exhibeant non solum in pecuniis, sed etiam in naturalibus terrae fructibus; et quidem circa modum hujus oblationis, conforme est omnium saeculorum consuetudini, ut fiat in primitiis, et decimis, aut aliqua portione, quae decimae accedat, ne Fideles videantur erga verum Deum mi-

nori pietate pollere, quam ipsi gentiles erga falsa sua numina. Contrarium esset igitur a naturali dictamine, et impulsu dissentaneum, et a vera pietate, et religione difforme.

Tertio: Apostolicae traditioni huc usque custoditae est pariter consonum, ut Fideles eas eleemosynas, quas in pauperes erogare, vel ex praecepto tenentur, vel ex consilio adducuntur, pro aliqua parte distribuendas tradant, et dispensandas Ecclesiae, cui pauperum sollicitudo maxime incumbit, quae eorum necessitates facilius dignoscere potest, et quae ex hujusmodi eleemosynis multa commoda et subsidia in eorum etiam spiritualem salutem derivare poterit.



DISSERTATIO TERTIA

De Regno Millenario Christi visibiliter conversantis in terra.

Cerinthus haereticus primi saeculi, teste Cajo Theologo apud Eusebium *hist. lib.* 3. *cap.* 23., hanc fabulam asseveranter introduxit; *Post resurrectionem carnis humanae regnum Christi terrestre futurum, et apud Jerusalem homines in carne cupiditatum, et voluptatum blanditiis inservituros; Qui cum Sacrosanctis Dei eloquiis esset infensus, numerum mille annorum (habuit enim in animo homines in fraudem illicere) in nuptiarum festis, et celebritate dicebat consumptum iri*. Haec Cajus; quae sententia manifeste contradicit Evangelio dicenti: Matth. 22. *In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei*. Ex assertione autem Caii apparet, quod Cerinthus non ante resurrectionem universalem, sed post eam illud millenarium regnum somniaret. Neque huic assertioni contrariatur Dionysius apud Eusebium *loc. cit.*, qui ejusdem Cerinthiani erroris mentionem facit. Quidquid sit, quotquot haeretici illam

deliciarum affluentiam, et intemperantiam, quae ventri, et veneri deserviunt, in millenario Christi regno visibiliter conversantis in terra, sive ante, sit post universalem hominum resurrectionem, asseruerunt, Cherintiani dicti sunt, aut Chiliastae, et inter haereticos a pluribus adnumerantur. Aug. *de haeres.* 8. Eundem errorem sequutus est Apollinarius, ut refert Epiphanius *haeres.* 77. *in fine*. Ipsos autem ex Judaeis hanc indecoram fabulam hausisse creditur, et fit verosimile, quia cum Rabbinorum figmentis maxime congruit, ut inter caeteros late probat, Cl. Dominicus Galliccioli in italica translatione S. Justini *tom.* 2. *Venet.* 1799. *pag.* 347. Quare iidem Cherintiani addebant, quod in illo millenario regno circumcisio, et omnes legales Judaicae observantiae renovandae essent, ac praeterea Templum rursus, et otium Judaici Sabati instauratum foret, quod Scripturis manifeste contrariatur; neque hoc expectare fas est post consummatas Mosaicae legis figuras, perfectamque Danielis de perpetua abominatione prophetiam, et a legis servitute liberationem. Epiphan. *haeres.* 77. et Dionys. apud Euseb. *l.* 3. *c.* 28.

Secundo autem Ecclesiae saeculo Papias Syrus, Hieropolitanus Episcopus, Auditor Jo-

annis sive Apostoli, ut testatur Hieronymus, sive alterius Joannis praesbyteri, ut alii volunt, edidit libros quinque, quorum inscriptio erat: *Interpretatio Oraculorum Dominicorum*. Hominem mediocris admodum ingenii eum vocat Eusebius *hist. Eccles. l.* 3. *c.* 39., ideoque ex male intellectis Apostolorum narrationibus, cum ea, quae arcano quodam sensu, et exempli causa ab illis dicebantur, non satis pervidisset, fabulam edidit de Christi regno millenario post corporum resurrectionem in hac terra duraturo. Et quamvis Papias ab eodem Eusebio *cap.* 36. vocetur vir disertissimus, et eruditissimus, ac Scripturae peritus, tamen observandum est cum doctissimo Valesio, hoc elogium ab antiquis Mss. abesse, neque legi apud Rufinum. Idipsum Papias persuasit Irenaeo, etiamsi ex Irenaei scriptis *adv. haeres. l.* 5. *c.* 33. *et sequ.* deprehendatur, quod Irenaeus illud ante judicii diem, et reproborum resurrectionem collocabat, ideoque circa temporis circumstantiam, quae in hoc argumento magni facienda est, a suo ipso praeceptore dissidebat. Etiam Justinus hanc opinionem amplexus est, ut quamplurimis videtur manifeste erui ex ejus Dialogo cum Tryphone. Pariter Nepos in Egypto Episcopus pro millenario regno quaedam

scripsit, sed talibus sententiis conferta, ut Dyonisius Alexandrinus aggressus sit illum refutare, sicuti legitur apud Eusebium *l.* 7. *c.*24. Quin etiam contra Irenaeum scripsisse eundem Dyonisium auctor est Hieronymus in *Praef. l.* 18. *comment. in Isai.*, nisi potius dicere velimus, quod uno et eodem libro Cerinthum, Nepotem, et Irenaeum confutaverit Dyonisius; quod puto esse magis verosimile. Accesserunt Papiae Lactantius, Tertullianus, Victorinus Pictaboniensis, Commodianus, et Sulpitius Severus in Dialogo, cui nomen *Gallus*. Praeterea presbyteri, de quibus meminit Irenaeus; quin etiam *Martyres, et nostrorum plurima multitudo*, ut testatur Hieronymus *loc. cit. et in Jerem. c.* 19. Praeter autem supra memoratum Dyonisium, contra hanc aliquorum Patrum opinionem, et contra Cerinthi errorem scripserunt Cajus, Eusebius, Basilius Magnus *epist.* 74. *ad Occid. Episc.*, Epiphanius *haeres.* 77. Origenes *prolog. in Cantic. et l.* 2. *de Principiis cap.* 12. Gennadius *de Eccles. dogmat. c.* 6. *et* 55. Phylastrius *haer.* 59. Ephrem Syrus, Theodoretus, Hieronymus, et Augustinus, ut videri potest apud Tillemont *les millenaires pag.* 300., *et les Cerinth. pag.* 54. *tom.* 2., *et* Nourry *Apparat. ad Bibliothec. Maxim. tom.* 2. *dissert.* 1. *art.* 2. Caete-

rum pro certo habendum est, uti jam supra innuimus, opinionem istorum Patrum longe diferre ab errore Cerinthi, maxime propter causas superius adductas, ut contra Istigium ipsi Protestantes demonstrarunt, scilicet Buddeus *de Eccl. Apost. pag.* 448., Valchius *hist. Eccl. saecul.* 1. *pag.* 502., et Veismanus *Introduct. in memor. Eccl. Hist. Novi Testam. pag.* 132., *et alii* apud Travasa *tom.* 1. *pag.* 366. *Storia critic. degli Eresiarchi*.

At vero post quintum saeculum non inveniuntur ferme nisi haeretici, qui millenarii regni opinionem propagaverint. Videri potest eorum series apud Danielem Cramerum in opere inscripto: *Arbor haereticae consanguinitatis pag.* 76. Pariter Federicus Ulricus Callistus librum scripsit: *De Chiliasmo tum antiquo, tum pridem renato, Helmstadt* 1692. Anabptistae eundem errorem instaurarunt, ut referunt Pammel. *in Paradox.*24. *Tertulliani*, et Staphileus in *Epitom. haeres. Luteranor.*, et Lindanus *de haeres*; et Prateolus verbo *Cherintiani, et Chiliastae*. Etiam aliqui ex Protestantibus millenarii fuerunt, et inter caeteros Minister Jurieu, ut videri potest apud Bossuet. *Apocal. c.*20., et Nicole *Unité dell'Eglise Praefac. pag.* 28. Tillemont. *t.* 2. *les Millenair.* refert sequentia,

Si dice, che si rinovano presentemente (i Millenarii) tra gli Eretici di Svezia, e di Brandeburgo.

Plura etiam de recentiorum haereticorum circa hoc argumentum diversis fabulis inveniri poterunt apud Hermannum Hildebrandt in ejus Opusculo typis impressum Herbonae anno 1697., et cui titulus est: *Scrutinium de Vaticiniis propheticis de Gog et Magog*. Ibi Hermannus quamvis Calvinisticae sectae addictus, tamen sui temporis Chiliastas rationibus, et auctoritatibus non mediocriter exagitat. *pag.* 73. *et sequ.* Contra eos etiam scripsisse refert Crocium Antiweig. *part.* 1. *cap.* 13. *quaest.* 2. *pag.* 399. *et sequ.*, et Voetium *part.* 2. *disput. pag.* 1256.; et plures alios ab eodem Voetio cit. *pag.* 1264. Ab eodem Hermanno discimus, quod Alstedius asseruit, Martyres resurrecturos, et in terris regnaturos ante judicii diem; in diatribe apud Voetium *pag.* 1259. Ejusdem sententiae adhaesit etiam Piscator. Sed notandum ad propositum nostrum, quod Alstedius et Piscator negant, Christum in regno illo millenario visibiliter in terras descensurum, et visibiliter regnaturum; contra vero hoc Christi regnum visibiliter commorantis in terra asseritur ab Archerio Anglo apud Voetium

pag. 1266. *et sequ.*, qui eum refellit. Inter catholicos vero, qui millenarium regnum aliquo modo restaurarunt, recensetur praecipue P. Antonius Vieyra in Opere, cui titulus *Clavis Prophetarum, vel Tractatus de Regno Christi in terris consummato*. Idem opus etiam sub hoc diverso titulo refertur: *Historia de futuro: Expectationes Portugalliae: Quintum Orbis imperium*. Ut aliqua de hujusmodi Opere cognitio hauriatur, remitto Lectorem ad *Dictionarium Theologicum* Romae impressum 1797. typis Desiderii lit. R. *Regno Millenario di Cristo avanti la Risurrezione*. Notandum unice existimo, Patrem Vieyra in aliquibus substantialibus suam opinionem variasse, ut ibi adnotatur. *Sostenne egli prima la futura venuta di Cristo personale per lo stabilimento ed esercizio di codesto impero; e poi sanamente esclusa quella, non concede che la figurata e rappresentata di lui venuta nella persona di un Principe temporale*.

Haec summatim retuli de Millenariorum historia; ex quibus quisque non mediocrem historicam narrationem de Millenariorum Variationibus conficere posset, quam ego propter librorum inopiam omisi, neque etiam omnino necessariam ad propositum meum judicavi. Unum enim tantum-

modo hic adnotandum censeo ex auctoritatibus huc usque relatis; scilicet Millenariorum opinionem sive apud luxuriantes haereticos inquiratur, sive apud temperatos catholicos, variam et inconstantem fuisse, maxime circa tempus hujusmodi millenario regno assignatum, quod alii ante universalem resurrectionem, et judicium, alii postea reposuerunt; pariter circa visibilem Christi commorationem et regnum in terris, quod visibile fore alii asserunt, alii inficiantur, alii de eo verbum non faciunt; denique circa anticipatam aliquorum resurrectionem, quam alii de solis martyribus annunciant, alii de martyribus et virginibus, alii de omnibus sanctis indistincte, et universim. Haec autem observatio sufficere potest apud quemlibet mediocriter in theologicis rebus versatum, ad praeoccupandum ejus animum contra millenarium regnum; varietas enim et inconstantia in constitutivis essentialibus quamcumque opinionem de imbecillitate, immo etiam de falsitate arguit. Neque praeterea omittendum, quam parum subsidii etiam temperati millenarii ex antiquis catholicis scriptoribus repetere possint, quia circa aliquas substantiales millenarii regni circumstantias illi inter se non conveniunt.

Essentiales enim, ut dixi, in hanc opinionem a catholicis ipsis scriptoribus differentia invehitur, si millenarium regnum ante universalem resurrectionem adijudicetur, aut si postea; si Christi visibilis praesentia in illud inferatur, aut si inficietur, aut si ab ea praescindatur. Si quis millenarium regnum pro tempore, quae universalem resurrectionem praecedet, adstruere velit, et in eo Christum visibiliter in terris regnaturum probare contendat, negandum utique obfirmato calamo erit, hujusmodi opinionem posse in sui praesidium avocare auctoritatem Papiae, aut aliorum, qui millenarium regnum post judicii universalis diem rejecerunt. Venio nunc ad extrema tempora, ut narrationem meam breviter conficiam de Millenariorum Variationibus.

Non multis igitur abhinc annis prodiit cujusdam Auctoris liber sub ementito nomine *Enodii Papiae Lugano* 1781., qui fuit in prohibitorum librorum Indicem relatus. Continet liber iste Commentarium in Apocalypsim. Auctor autem nunc quasi incerte, nunc quasi asseveranter adstruit primam, seu anticipatam corporalem justorum resurrectionem, et eorum regnum non vero in terris, sed in Caelo cum Christo: terrestre autem

regnum collocat pro eo tempore sub administratione Summi Pontificis Christi Vicarii in terris, et Petri successoris. cap. 20. *Perciò salvo sempre un miglior giudizio, noi a norma di quanto espone quì S. Giovanni della Risurrezione; Pima diremo, che potranno venire di fatto risuscitati tutti i giusti e regnar poi... Potran poi non solo risorgere, ma regnar con Gesù Cristo, non già in terra visibilmente, ma dal Cielo tenendo la Signoria della medesima col Capo loro, cioè con Gesù Cristo dichiarato allora Monarca universale del Mondo, lasciando intanto, che si amministri questo Regno temporale per mezzo del Vicario di Gesù Cristo in terra, cioè del Successore di S. Pietro, il che se avessero considerato i Chiliasti non avrebbono spropositato nella troppo materiale intelligenza del Regno di Gesù Cristo, e dei Santi: ma del resto che quì si tocchi una Resurrezione particolare di tutti i giusti, non ci lascia luogo a dubitare quel, che siegue, poichè si dice, che gli altri morti cioè i reprobi non son tornati in vita, dunque i giusti son vissuti di fatto: altrimenti se nemmen essi fossero risorti, vanissimo sarebbe il distinguerli dagli altri non risuscitati... Del resto il rivivere dei Giusti, che si pone in questo luogo, egli è una vera*

Resurrezione, e chiamasi la prima, con che s' insinua tacitamente, che deve essere distinta, e deve precedere la commune universale risurrezione, che si vedrà alla fine del Mondo. Mirum est, quomodo hujusmodi Scriptor asserat, communem universalem resurrectionem futuram esse in fine mundi, postquam illi per longum tempus praecesisse affirmaverit resurrectionem omnium justorum : *tutti i giusti*. Neque praeterea legisse indicat tot Patres, Doctores, et Interpretes, qui primam illam resurrectionem in spirituali sensu interpretati sunt, atque inter caeteros Bossuetius *loc. cit.*, qui hoc negotium facili, et claro modo, nec violenter omnino confecit. Atque etiam huic Scriptori convenire posset, quod de Millenariis ajebat Hieronymus *in Isai. c.* 30. *Mille quoque annorum fabulam, et terrenum Salvatoris imperium Judaico errore suscipiunt, non intelligentes Apocalipsim Joannis in superficie litterae medullata Ecclesiae Sacramenta contexere.*

Quibus praemissis jam ad propositum meum descendam. His enim consideratis, et Auctoribus, qui contra Chiliastas disseruerunt, magna ex parte exploratis, visum est de hoc argumento certam propositionem statuere, quae omnes anteactas falsas, et

improbabiles opiniones evertat, et regula sit ad explorandas alias, quae in posterum excitari possint. Itaque ex Scriptura, ex Patribus, ex Conciliis, ex Doctoribus hoc certum est, quod in secundo glorioso Christi Adventu statim omnes homines eodem moraliter tempore simul resurgent cum corporibus suis, scilicet et electi, et reprobi; illi quidem ut vitam aeternam recipiant, isti autem mortem sempiternam. Quo ut par est probato, sequitur; primo non posse inter Christi adventum, et universae carnis resurrectionem introduci temporale regnum mille annorum sub Christi imperio visibiliter commorantis in terra; secundo resurrectionem justorum praecessuram non esse longo, et notabili tempore reproborum resurrectionem; tertio denique et consequenter, opinionem quorumcumque etiam moderatorum Millenariorum, qui adstruant, ad secundum gloriosum Christi adventum solos vel Martyres, vel Sanctos resurrecturos, et cum Christo visibiliter in terris conversante regnaturos ante universalem resurrectionem, et judicium, per mille annos, aut per aliud longum non dissimile tempus, esse omnino a Catholico viro repudiandam. Haec autem, quum juxta ecclesiasticas regulas explorata

fuerint, ita manifesta apparebunt, ut quaecumque opposita sententia saltem omnino improbabilis haberi debeat apud Catholicos.

In quo examine non omnes prorsus auctoritates referam, quae aliquo modo ad eundem scopum perducere possent, sed selectas, perspicuas, et ineluctabiles. Quid enim refert omnes Patres aut Doctores recensere, qui de secundo Christi Adventu ita loquuti sunt, ut in scriptis suis manifeste ostendant, illius Adventus moralem conjunctionem cum universae carnis resurrectione. Esset hoc onus et scribenti, et legenti importabile, et praeterea omnino superfluum, quum sciant omnes, neminem ex Patribus, aut Doctoribus post quintum saeculum extitisse, qui diversimode loquutus fuerit; neque si quis stet ex adverso, probatum Doctorem, aut Patrem post illud tempus pro Millenario regno producere possit. Quin etiam ex Scripturis, et Conciliis non omnia mihi decerpenda praescripsi; sed solum ea, quae quandam evidentiam praeseferunt. Hac enim servata methodo dissertationem meam ad arctiores quidem limites, sed eos et tutos, et inexpugnabiles revocavi. Qui diversa sentirent, proferant, si possunt, pro sua opinione auctoritates tam claras, atque perspicuas, ut ego

proferam pro praesenti, et communi Fidelium doctrina. Quod si non poterunt, necesse est, ut confugiant ad auctoritates obscuras, et dubias, atque illis deinde contra Patrum, et Interpretum communem, aut fere communem interpretationem, arbitrarium sensum impingant. Ita fiet, ut non solum a recta interpretandi semita recedant, sed etiam in eum errorem incidant, ut claras auctoritates per obscuras interpretari contendant, non vero ut communis et rationabilis regula exposcit, obscuras per claras. Et in hoc ipso suae opinionis imbecillitatem prodere cogentur. His itaque praelibatis, haec sit Propositio, quam probare, et tueri profitemur.

PROPOSITIO

Cum Christus e Caelo visibiliter, et in Gloria Secundo Adveniet, tunc et non postea fiet universalis defunctorum resurrectio, et universae carnis judicium, et simul pronuntiabitur a Christo perpetua irrevocabilis sententia seu vitae, seu mortis aeternae; ideoque inter secundum gloriosum Christi judicis Adventum, et universalem corporum Resurrectionem mille annorum spatium, aut alia no-

tabilis mora temporis non intercedet, qua Christus visibiliter regnet in terra cum Martyribus, aut aliis hominibus Sanctis, jam corporibus suis rursus indutis. Probatur ex Scriptura, Conciliis, Patribus, Doctoribus, Fidei regulis, et communi constanti Ecclesiae Doctrina.

Ait Job de se ipso 19. 25. *Scio enim, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea*. Quid est autem novissimus dies in Scripturis, nisi dies postremus? Nec invenies hanc dictionem in numero singulari, nisi in hoc sensu, alias dicitur: *novissima hora, novissima tempora, novissima dies*: Ergo Job, qui utique erat vir justus et sanctus, surrecturus est in postremo die saeculi, non igitur mille annis ante seculi consummationem. Idem *cap.* 14. *v.* 12. ait de omnibus omnino hominibus sine ulla distinctione justorum, aut reproborum: *Homo, cum dormierit, non resurget, donec atteratur Caelum; non evigilabit, nec resurget de somno suo*. Loquitur autem de somno mortis. Ergo non resurget homo usque ad finem mundi, quando Coelum atteretur, ut ait Apostolus Petrus 2. *Petr.* 3., ideoque ad illud tempus resurrectio omnium hominum

differtur. Ita S. Thomas in 4. *Sentent. distinct.* 43. *qu.*1. *art.*3., et Gregorius *in Job.* 14. *c.*15. *Liquet enim, quia non resurget, scilicet donec atteratur Coelum: quia nisi mundi hujus finis advenerit, humanum genus a somno mortis ad vitam non evigilabit. Non ergo quia non resurgat omnino, sed quia ante contritionem Coeli humanum genus minime resurgat, insinuat.* Loquitur autem Job de omni homine, quod improprie diceretur, si magna Martyrum multitudo, aut Sanctorum ab hac communi lege exciperetur.

In capite 16. Matthei v. 27. Ait Jesus Discipulis suis: *Filius enim hominis venturus est in Gloria Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* Habemus hic expressis verbis praenuntiatum a Christo Domino ipsius adventum in gloria, et simul sententiam pro justis, et impiis omnibus in judicio universali, cui praecedere debet generalis resurrectio mortuorum. Si autem interponatur spatium mille annorum inter gloriosum adventum Christi et universale judicium, quomodo salvabitur proprietas illius particulae: *et tunc reddet*; quae in sensu obvio, et communi denotat unionem et connexionem immediatam adventus Domini cum universali judicio, et

sententia pro omnibus aeternae poenae, vel mercedis?

Pariter ejusdem Matthaei c. 25. 31. et sequ. dicitur: *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suae, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut Pastor segregat oves ab haedis, et statuet oves quidem a dextris suis, haedos autem a sinistris. Tunc dicet Rex his, qui a dextris ejus erunt etc. Tunc dicet et his, qui a sinistris sunt, etc. Et ibunt hi in supplicium aeternum: Justi autem in vitam aeternam*. In hac tam manifesta descriptione judicii universalis evidentissime constat, quod adventus Christi immediate, et sine intervallo unietur, et copulabitur judicio omnium gentium, sententiae pro malis et justis, et ipsius perpetuae executioni: *Cum venerit Filius hominis ec. Tunc sedebit ec., et congregabuntur ante eum omnes gentes. Tunc dicet Rex ec. et ibunt hi in supplicium ec.* Quomodo hoc explicabitur sine cavillatione, si spatium mille annorum interponatur inter gloriosum Christi adventum, et universale judicium?

In capite Joannis quinto v. 28. dicit Christus: *Nolite mirari hoc, quia venit ho-*

ra, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii. Ecce hic manifeste dignoscitur, quod in una, et eadem hora omnes justi, et mali, qui mortui erant, resurrecturi sunt simul; ideoque non erit notabiliter separata resurrectio aut omnium, aut magnae partis justorum a resurrectione malorum. Quod autem etiam justi resurrecturi sint in novissimo die, et non antea; patet praeterea ex capite Joannis sexto vers. 39. *Haec est autem voluntas ejus, qui misit me Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem in novissimo die*. Hic rursus indiscriminatim, et indistincte de omnibus electis loquitur sive Martyribus, sive non, et de Apostolis etiam, qui futuri erant Martyres, quod omnes simul resuscitaturus esset in novissimo die, scilicet in die universalis resurrectionis. Unde Martha de Lazaro loquens dicebat. Joan. 11. 24. *Scio, quia resurget in resurrectione in novissimo die*. Et Job de se ipso loquens 19. v. 25. ut vidimus; *Credo, quod Redemptos meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum*. Dicitur autem in Scriptura novissimum, quod est postre-

mum. Igitur Christus in Evangelio non aliam promittit suscitationem, quam postremam et universalem.

S. Judas Apostolus in epist. cathol. v. 14. et 15. sic ait. *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, et de omnibus duris, quae locuti sunt contra Deum peccatores impii*. Vides, quomodo conjungat adventum Domini cum judicio universali? Vides, quomodo judicium contra omnes comprehendit etiam impios sui temporis, quibus apposite loquitur in illo loco? Non igitur intelligit solum omnes illos impios, qui vivent in tempore adventus Domini.

Dicebat Sanctus Petrus ad Judaeos Act. 3. 19. et sequ. *Paenitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra; ut cum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini, et miserit eum, qui praedicatus est vobis, Jesum Christum, quem oportet quidem Coelum suscipere usque in tempora restitutionis omnium, quae locutus est Deus per os Sanctorum suorum a saeculo Prophetarum*. Notandum, quod aliqui expositores intelligunt illud *refrigerii a conspectu Domini* pro beatitudine visionis ex conspectu Domini, qua

S. Petrus volebat Judaeos allicere ad conversionem, et quae omnibus omnino justis in vita aeterna donabitur, quum Dominus miserit Jesum Christum, qui ab Apostolis praedicabatur, et qui in Coelum ascenderat, unde venturus erit in tempore restitutionis omnium. Quaerendum itaque est, quale sit *hoc tempus restitutionis omnium*; neque ab alio clarius accipi potest, quam ab ipso Petro, qui hoc Judaeis praedicabat, et deinde in 2. epist. cap. 3. late explicat, quum disserit de die judicii, de conflagratione mundi, et de renovatione Coelorum, et terrae. Ibi enim ait. vers. 10. et sequ. *Adveniet autem dies Domini, ut fur, in quo coeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, et quae in ipsa sunt opera, exurentur. Cum igitur haec omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus, et pietatibus, expectantes, et properantes in adventum diei Domini, per quem coeli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent. Novos vero coelos, et novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat.* Ecce quale futurum sit tempus restitutionis omnium, scilicet, quando in adventu Domini coeli transient, et solventur, et terra

cum operibus, quae in ea sunt tum a natura, tum ab arte composita exuretur, et coeli novi, et nova terra apparebit. Igitur illud *restitutionis* est idem in eo loco ac *renovationis*. Ex quibus sequitur, quod inter conflagrationem mundi, adventum Domini, universale judicium, et rerum omnium renovationem, non possit intercedere spatium, et regnum mille annorum, sed statim post adventum Domini, et judicium, caeli et terra universim renovabuntur. Hoc autem per os Prophetarum Deus praedixerat, ut per Isaiam 65. 17. *et* 66. 22. *et* 64. 4. Hoc etiam cohaeret cum iis, quae in Apocalypsi post resurrectionem, et universale judicium describuntur c. 21. *Et vidi caelum novum, et terram novam; primum enim caelum, et prima terra abiit, et mare jam non est*. Cujus vero generis futura sit haec renovatio ad propositum meum non interest. Satis est ostendisse, quod S. Petrus conjungit adventum Domini cum fine mundi, et renovatione rerum omnium, non cum regno millenario, quod mundi finem praecedere debeat; et insuper, quod a Prophetis praedicta de glorioso Christi regno non ad illud millenarium in terra hac, sed ad aeternum post hujus terrae universalem renovationem aptanda sint. Videri potest Cornel. a Lapide *in loc. cit.*

Ait Apostolus ad Colossenses 3. 4. *Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria*. Ecce quomodo hic aperte conjungit adventum Christi cum omnium justorum resurrectione, et gloria. In prima autem ad Corinthios *cap.* 15. *v.* 51. *et seq.* non distinguit tempus resurrectionis justorum a tempore resurrectionis reproborum, sed solum ait, quod justi mutabuntur in gloriam juxta illud supra memoratum Christi: *qui bona fecerunt, procedent in resurrectionem vitae*. Ait igitur Paulus. *Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti: et nos immutabimur*. Hic aperte profitetur universalem resurrectionem justorum et reproborum in novissima tuba, quae resurrectionem praecedet; *omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur*. Si omnes et soli justi immutabuntur in resurrectione universali, ergo non antea; non ergo ad regnandum cum gloria visibiliter in terris cum Christo per mille annos ante resurrectionem universae carnis. Quid autem evidentius de conjunctione adventus Domini cum resurrectio-

ne et judicio omnium electorum, et reproborum, quam id, quod meminit idem Paulus 2. ad Thessal. 1. 6. et seq. *Si tamen justum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant: et vobis, qui tribulamini requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de Caelo cum Angelis virtutis ejus*. Ecce secundus et gloriosus adventus Domini ad retribuendam vindictam in impios, et etiam in eos, qui vivebant tempore Apostolorum, quos tunc resurrecturos proinde supponitur, sicut et justos: Sequitur: *In flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi: qui poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini, et a gloria virtutis ejus, cum venerit glorificari in Sanctis, et admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt*. Vides hic etiam manifestius judicium, et sententiam aeternae damnationis indiscriminatim super omnes infideles, et inobedientes Evangelio, et quando? *Cum venerit Dominus, et admirabilis fiet in omnibus, qui crediderunt, et glorificabitur in Sanctis*, qui aeternam mercedem recipient. Si sancti, si justi, si martyres mille annorum spatio ante reproborum resurrectionem et judicium, visibiliter et gloriose cum corporibus suis regnaturi essent cum

Christo in terris, non ergo impii condemnabuntur in aeternum supplicium, quum *Christus veniet, et glorificabitur in Sanctis, et fiet admirabilis in omnibus, qui in eum crediderunt*, sed multo postea, scilicet post mille annorum spatium. Ergo admisso regno millenario martyrum, aut justorum visibiliter commorantium in terris cum Christo, Apostoli verba in sensu obvio, et communi falsitatem continerent. Quis catholicus hoc dixerit? S. Joannes Apostolus in Apocalypsi c. 1. copulat adventum Domini cum judicio omnium hominum, ita ut dicat, quod omnes visuri sunt ejus gloriosum adventum, etiam illi, qui eum pupugerunt; hoc autem intelligi nequit, nisi in ejus adventu etiam impii surrecturi sint. v. 7. *Ecce veniet cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terrae*. Quomodo autem cum venerit, videbit eum omnis oculus, et etiam ipsi, qui eum crucifixerunt, nisi omnes jam resurrexerint? Si spatium mille annorum inter adventum Domini, et resurrectionem universae carnis introducatur, non stabit illud: *veniet, et videbit eum omnis oculus*. Nimis enim longe distaret praesentia omnium hominum ab ejus adventu.

Quid vero, si consulamus Symbola, quae pro regula Fidei statuit, aut accepit Ecclesia? Videbis in iis adventum Domini ita cum universali judicio copulari, ut ad hunc praecipuum finem venturum e caelo Dominum expresse significent. Symbolum, quod dicitur Apostolorum. *Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est judicare vivos, et mortuos*. Symbolum Nicenum. *Et adscendit in caelos, et iterum venturus est judicare vivos, et mortuos*. apud Christ. Lupum tom. 1. Symbolum Constantinopolitanum. *Ascendit in caelos, sedet ad dexteram Dei Patris. Inde venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis*. Apud eund. *tom. 1. pag.* 347. Hic igitur sic arguo. Aut symbolum ibi loquitur de judicio universali, aut non. Si de universali judicio loquitur, manifestum est, quod illum judicium conjungitur cum adventu Christi, ac proinde supponit universalem resurrectionem, et excludit regnum millenarium, quod inter adventum Christi, et generalem resurrectionem existat. Si vero dicas, quod non loquitur de universali, sed de aliquo particulari judicio, quomodo supponi potest Symbolum Fidei de particulari

loqui, et de universali tacere? quomodo de universali judicio articulum illum semper interpretata est Catholica Ecclesia? Sed quid expressius, quam id, quod continetur in Symbolo, quod dicitur Sancti Athanasii, et ab Ecclesia per tot saecula usque ad nos adoptatum fuit. *Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis, inde venturus est judicare vivos et mortuos. Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala, in ignem aeternum*. Ecce *ad adventum Domini*, quod idem est ac si diceret, *statim ac advenerit Dominus*, Omnes homines, et non solum justi, aut Martyres surrecturi sunt; et Omnes judicandi sunt, et post judicium aeternum praemium, vel poenam aeternam recipient. *Haec est Fides Catholica*, quae revera in Ecclesia Catholica ubique praedicatur, et quam omnes Catholici profitentur.

Auctor Constitutionum Apostolorum quicumque fuerit, initio tertii aut quarti saeculi floruisse, eruditorum fere communis hodie sententia est. Illud opus, quamvis aliqua contineat ab Apostolorum gravitate aliena, nihilominus utile est ad multa, et dogmatum

nostrorum vetustati adstruendae apprime necessarium. Concil. Mansi *tom.* 1. *col.* 256. Ibi igitur *lib.* 7. *cap.* 33. describitur futurus Christi adventus cum universali resurrectione, et judicio conjunctus. Ait enim. *Deinde vox tubae instante Archangelo, et interea mortuorum suscitatio; ac tunc veniet Dominus in terrae motu cum omnibus Sanctis suis super nubes, comitatus Angelis virtutis suae in solio regni ad judicandum diabolum mundi deceptorem, et ad retribuendum cuique pro meritis. Tunc abibunt scelerati in aeternum supplicium, justi vero proficiscentur ad vitam immortalem, et ea possidebunt, quae oculus non vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt, quae praeparavit Deus diligentibus eum, et gaudebunt in regno Dei gaudio supra quam dici potest magno in Christo Jesu.* Concil. Mansi *tom.* 1. *col.* 507.

Notandum hic censeo, quod in veteribus Patribus saepissime Comminatio reperitur de imminenti Christi adventu, et universali judicio, ut de rebus omnino conjunctis et simultaneis. Et quum Patres haec commemorant, Fidelibus suae aetatis universim, et indistincte loquuntur, ut justos omnes ad patientiam in tribulationibus, et tentationibus, excitent, et peccatores a viis iniquitatis de-

terreant. Hic autem loquendi modus supponebat, quod ii omnes, qui praesentes tunc aderant, sive justi, sive mali, ad Christi adventum surrecturi simul essent, et judicium, et sententiam subituri. Immo considera Apostolum Paulum ad Hebraeos scribentem *cap.* 10. Ibi urget Hebraeos conversos, ut in fide constantes sint, *et tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem*. De hoc die certe dicit, quae paulo post sequuntur. *Terribilis autem quaedam expectatio judicii, ignis aemulatio, quae consumptura est adversarios*. Denique addit. *Adhuc enim modicum aliquantulum qui venturus est veniet, et non tardabit*. Ad quid autem ista, si veniens Christus solos Martyres aut Sanctorum aliquem praefinitum numerum excitaturus esset a morte, et cum iis regnaturus, non vero omnes revocaturus ad vitam, et justos simul, et impios judicaturus? Ad quid inquam, si qui venturus est, veniet, et deinde post adventum suum per mille annorum spatium universalem resurrectionem et judicium differet? Hoc fuisset Hebraeos quasi decipere, qui ex Pauli sententia expectare debuissent simul cum Christi adventu ignis aemulationem in adversarios, quae tamen futura non erat nisi mille annis post ejus ad-

ventum; expectare etiam debuissent in ejus adventu promissionem remunerationis, ut ibi Paulus commemorat, neque tamen eam consequuturi fuissent nisi mille annis post adventum ejus; immo neque ejus adventum essent visuri, nisi inter Martyres, aut Sanctos ad millenarium regnum resurrecturos computarentur. Hujusmodi absurda ex hoc Pauli loco, ex Jacob. *epist. cap.* 5., et magis etiam ex 2. *epist.* Petri *cap.* 3., et ex pluribus Sanctorum Patrum dictis sequerentur, si millenarii Regni fabula admittatur.

Luculentissimum autem etiam testimonium habemus sexto saeculo in professione Fidei Pelagii primi, quae inscribitur: *Fides Papae Pelagii*; et ab eo directa fuit ad Childebertum Regem, cap. 16. Legitur autem *tom.*9. *Concil.* Mansi *edit. Zatta* 1763. *col.*728. *et* 729. *et* 730. Ibi enim ait: *Quem* (Christum) *credo et confiteor secundum testificationem Angelorum, sicut ascendit in caelos, ita venturum judicare vivos, et mortuos. Omnes enim homines ab Adam usque ad consumationem saeculi natos, et mortuos, cum ipso Adam, ejusque Uxore, qui non ex aliis parentibus nati sunt, sed alter de terra, altera autem de costa viri creati sunt, Tunc resurrecturos esse confiteor, et adstare ante tribunal Christi, ut*

recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bona, sive mala: Et Justos quidem per largissimam gratiam Dei, ut pote vasa misericordiae in gloriam praeparata, aeternae vitae praemiis donaturum, in societate videlicet Angelorum, absque ullo jam lapsus sui metu sine fine victuros; iniquos autem arbitrio voluntatis propriae vasa irae apta in interitum permanentes, qui viam Domini aut non agnoverunt, aut cognitam diversis capti praevaricationibus reliquerunt, in poenis aeterni atque inextinguibilis ignis, ut sine fine ardeant, justissimo judicio traditurum. Haec est igitur Fides mea, et spes mea, quae in me dono misericordiae Dei est: pro qua maxime paratos esse debere Beatus Petrus Apostolus praecipit ad respondendum omni poscenti nos rationem. Supervacaneum est, hunc locum adnotationibus illustrare, quum tam distincte exprimat resurrectionem universalem tum justorum, tum reproborum conjunctam cum adventu Christi judicis, ut declaratione omnino non egeat.

Nec minus distincte loquitur ad propositum nostrum Professio Fidei determinata in oecumenico Concilio Lateranensi anno 1215. et praefixa libris Decretalium. Ibi enim sic legitur. *Venturus* (Christus) *in fine saeculi*

judicaturus vivos et mortuos, et redditurus singulis secundum opera sua, tam reprobis, quam electis: qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quae nunc gestant, ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala, illi cum diabolo poenam perpetuam, et isti cum Christo gloriam sempiternam. Si inter adventum Domini, et universale judicium hic descriptum interiiciatur resurrectio partialis justorum, ac regnum visibile Christi cum ipsis per mille annorum spatium, et deinde fiat resurrectio generalis reliquorum, nonne omnia improprie, inadaequate, et fallaciter, exposita, et expressa dicenda essent in hac Fidei professione? Quis igitur hoc dixerit?

Pariter Benedictus XII. in Constit. quae incipit *Benedictus Deus* an. 1336., ubi pronuntiat definitionem circa beatitudinem et damnationem Animarum post mortem, et ante universalem resurrectionem, ait §.3. *Quodque postquam inchoata fuerit, vel erit talis instuitiva, ac facialis visio, et fruitio in eisdem, eadem visio, et fruitio sine aliqua intercisione, aut evacuatione praedictae visionis, et fruitionis continuata extitit, et continuabitur usque ad finale judicium, et ex tunc usque in sempiternum*. Et deinde §. 4. *Et quod ni-*

hilominus in die judicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt reddituri de factis propriis rationem, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum. Cherubini Bullar. *tom*. 1. *pag*. 186. Ecce etiam hic usque ad universale judicium dilata resurrectio omnium hominum, et restitutio corporis sive ad fruendum, sive ad cruciandum.

Haec tam clare, et litteraliter expressa sunt in textibus, quos usque adhuc retulimus, ut mirum videatur, quomodo Catholicus quisquam inter secundum adventum Domini, et universale judicium intromittere cogitaverit partialem justorum, aut Martyrum resurrectionem, et regnum visibile et temporale Christi in terra per mille annorum spatium. Nihilominus non defuerunt aliqui, qui hujusmodi resurrectionem, et regnum in sacris literis manifeste, et literaliter expressum deprehendisse judicaverint. Si ita esset, et ipsi seipsos non seducerent, opus foret dicere, quod Ecclesia Scripturis contradicat, et ipsae etiam Scripturae sibi invicem contradicant, quoniam ex textibus, et deffinitionibus supra relatis contrarium omnino eruitur. Hoc autem dicere quam sit absurdum, nemo non videt.

Quis vero est in Scriptura locus, ubi tam clare suam opinionem legerint? Non unus quidem, sed plures; praecipuus autem, et veluti caeterorum fundamentum est cap. 20. Apocalipsis. Hoc itaque fundamentum evertere mihi in animo est, quo penitus sublato etiam caetera corruere necesse erit. Igitur Apocalyp. c. 20. postquam Joannes c. 18. et 19. descripserat judicium Babylonis, et interitum bestiae, pseudo-prophetae, et eorum, qui bestiae caracterem acceperunt, et ejus imaginem adoraverunt, sic ait: *Et vidi Angelum descendentem de caelo habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus, et Satanas, et ligavit eum per annos mille, et misit eum in abyssum, et clausit, et signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consumentur mille anni: et post haec oportet illum solvi modico tempore. Et vidi sedes, et sederunt super eas, et judicium datum est illis: et animas decollatorum propter testimonium Jesu, et propter verbum Dei, et qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus, aut in manibus suis, et vixerunt, et regnaverunt cum Christo mille annis. Caeteri mortuorum non vixerunt, donec consu-*

mentur mille anni. Haec est resurrectio prima. Beatus et Sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt Sacerdotes Dei, et Christi, et regnabunt cum illo mille annis. Et cum consummati fuerint mille anni &c. Et deinde describitur generale judicium futurum post mille annos. Hic locus videtur aliquibus manifeste adducere ad praedictam sententiam confirmandam, quia in eo designatur resurrectio prima, et vita, et regnum decollatorum propter testimonium Jesu cum Christo mille annis, et post haec solutio Satanae, et denique resurrectio, et judicium universale.

Plures interpretes, et doctores in hoc capite explicando et ejus sensum aperiendo laboraverunt. Conveniunt omnes, aut fere omnes, primam illam resurrectionem et regnum cum Christo non esse temporaliter, et carnaliter accipiendum, sed spiritualiter. Nemo autem, mea quidem sententia, ita clare et manifeste hunc spiritualem sensum ex illo capite deprompsit ut Augustinus *de Civit. Dei l.* 20. *c.* 6, *et seq.*, *et deinde Suarez de Incarnatione part.* 2. *disp.* 50. *sect.* 8. et Bossuet *in Apocaly. c.* 20. Quare ipsos omnino sequar, et eorum vestigiis inhaerebo.

Non est igitur dubitandum, quod Apostolus Joannes pro illa prima resurrectione intellexerit resurrectionem spiritualem animarum a morte peccati, et infidelitatis ad illam vitam fidei, et gratiae, quam consequitur gloria, per spatium mille annorum, quod significat longum tempus indefinitum, scilicet ab initio Ecclesiae usque ad extrema tempora mundi. Etenim status infidelitatis, et peccati vocatur mors in Scripturis sacris. Habent enim et animae mortem suam in impietate atque peccatis: secundum quam mortem mortui sunt, de quibus idem Dominus ait: *Matth.* 8. 22. *Sinite mortuos sepelire mortuos suos*; ut scilicet in anima mortui in corpore mortuos sepelirent. Sic etiam ait pater ille de filio suo profugo, qui redierat ad domum patris. Luc. 15. 24. *Filius meus mortuus erat, et revixit*; et Joan. 6. 50. de iis, qui sumunt Corpus Christi: *Hic est Panis de coelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*; scilicet morte spirituali. De hac dicitur ad Ephes. 5. 14. *Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus*; et ad Colossen. 2. 13. *Et vos cum mortui essetis in delictis, et in praeputio carnis vestrae, convivificavit cum illo*. Et 1. ad Timoth. 5. 6. *Nam quae in de-*

litys est, vivens mortua est; Et Jacob 2.17. *Fides si non habet opera, mortua est*. Apoc.3.1. *Nomen habes quod vivas, et mortuus es*. Ecce igitur quomodo in Scripturis peccatum, et infidelitas vocentur mors. Videamus deinde, quomodo qui a peccato, et infidelitate convertuntur, dicantur resurgere, et vivere. Joan. 11. 25. Marthae dixit Jesus: *Ego sum resurrectio, et vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet: Et omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in aeternum*. Ad Roman. 8. 6. *Nam prudentia carnis mors est: prudentia autem spiritus vita, et pax*. ad Ephes. 2. 5. et 6. *Et cum essemus mortui peccatis convivificavit nos in Christo (cujus gratia estis salvati) et conresuscitavit, et conscedere fecit in caelestibus in Christo Jesu*. Coloss. 3. 1. *Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt sapite*. et Coloss. 2. 12. *In quo et resurrexistis per fidem*. Et alia similia in pluribus locis.

Pariter glorificatio Animarum piarum vocatur resurrectio, et vita, et contra impii morientes dicuntur non vivere, et non resurgere, scilicet spiritualiter per gratiam, et gloriam, quum etiam ipsi adhuc vivant, et in novissimo die corporaliter resurrecturi sint. Unde Isaias c. 26. 14. de improbis

morientibus ait: *Morientes non vivant, gigantes non resurgant*; contra vero de piis morientibus. v. 19. *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent*.

Denique videndum superest, quomodo Ecclesia a primo Christi adventu usque ad consummationem saeculi saepe dicatur Christi regnum, et justos regnare cum Christo, et Christum cum ipsis semper esse. Matth. 28. 20. *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem saeculi*. Matth. c. 12. 28. *Pervenit in vos Regnum Dei*. et 13. 38. *Ager autem est mundus: Bonum vero semen hi sunt filii Regni: Zizania autem filii sunt nequam*. et 21. 43. *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus*. Marc. 15. 43. *Erat expectans regnum Dei*. Luc. 1. 32. *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis*. Apoc. 1. 6. *Fecit nos regnum, et Sacerdotes Deo, et Patri suo*; et 5. 10. *Fecisti nos Deo nostro Regnum, et Sacerdotes, et regnabimus super terram*. Et pariter alia quamplurima praesertim in Evangelio. Hinc ait S. Gregorius hom. 12. in Evangelia: *Sciendum nobis est, quod saepe in sacro eloquio Regnum coelorum praesentis temporis Ecclesia dicitur*. Superfluum esset in his

textibus explicandis immorari, de quorum sensu spirituali vel metaphorico apud Patres, Doctores, et Interpretes non ambigitur.

Praeterea est alia mors, cui respondet resurrectio ad aeternam vitam, et gloriam. Haec scilicet mors est ea, quae fit in Christo, et per quam Sancti moriuntur mundo, de qua loquitur Apostolus ad Colos. 2. 20. *Mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi*; et c. 3. 3. *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*. Denique idem Apostolus, saepe commemorat mortuos peccato; scilicet eos, qui a peccando destiterunt per gratiam Christi. Rom. 6. 2. *Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivimus in illo? ... Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo: Credimus, quia simul etiam vivemus cum Christo*; et Petri 2. 24. *Ut peccato mortui justitiae vivatis*.

His autem positis obvia erit explicatio illius capitis Apocalypsis, in quo S. Joannes veluti epilogum facit totius temporis militantis Ecclesiae. Itaque Angelus ille descendens de coelo, *qui ligavit Satanam per an-*

nos mille , ut non seducat amplius gentes , commode interpretatur esse Christum Dominum , qui de coelo descendit , et incarnatus est , et qui in Scriptura dicitur *Angelus testamenti , et magni consilii Angelus .* Ipse autem alligavit Satanam , scilicet Principem Daemoniorum , et detrusit eum in Infernum , *ut non seducat amplius gentes ;* scilicet ut non immittat in eis errorem superstitionis , et idololatriae , qua seducebat populos , ut seipsum adorarent . Et de facto post adventum Domini Jesu idololatria non amplius in populos de novo disseminata est , immo paulatim ab eis fere ubique defecit per Evangelii praedicationem . Quod autem non omnes daemones , sed princeps daemoniorum nomine Satanae ibi significetur , auctor est etiam Gregorius lib. 4. Moral. c. 13., et Lactantius l. 7. c. 24. , et 26. Pariter quod Christus Dominus alligaverit Satanam , et potentiam ejus imminuerit , indicatur manifeste . Lucae 11. 21. et seq. ubi de Satana , et de se ipso ait ipse Christus : *Cum fortis armatus custodit atrium suum in pace sunt omnia , quae possidet . Si autem fortior eo superveniens vicerit eum , universa arma ejus auferet , in quibus confidebat .* Et consentiunt in hac imminutione diabolicae potestatis per

adventum Christi Patres passim, et Doctores. Ita S. Augustinus lib. 20. de Civ. Dei c. 7. et 8., et S. Gregorius 7. Moral. c.18. Et quidem de Christo ait Apostolus, quod expolians *principatus, et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*. Colos. 2. 15.

Ligatus fuit autem a Christo Satanas *per mille annos*, quod spatium significat in Scriptura tempus indefinitum. Psalm. 104. *Verbum, quod mandavit in mille generationes*. Et hoc tempus est illud, quod excurrit ab Incarnatione Domini usque ad adventum Antichristi, et designatur per tempus indefinitum, quia noluit Deus, ut scirent homines tempora vel momenta, quae posuit in sua potestate. *Post haec autem oportet Satanam solvi modico tempore*; scilicet tempore Antichristi, in quo Satanas rursus seducet gentes ad idololatriam, quia faciet se ipsum adorare in Antichristo, qui ab eo possidebitur 2. ad Thessalon. 2. *Extollitur supra omne, quod dicitur Deus, ita ut in Templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus*.

Et vidi sedes, et sederunt super eas, et judicium datum est illis, et Animas decollatorum propter testimonium Jesu, et propter verbum Dei, et qui non adoraverunt bestiam,

neque imaginem ejus , nec acceperunt characterem ejus in frontibus , aut in manibus suis , et vixerunt , et regnaverunt cum Christo mille annis . Hic loquitur S. Joannes non solum de animabus Martyrum , quae licet impiis videantur mortuae , et annihilatae , in coelo tamen vivunt , et regnant cum Christo mille annis jam dictis , idest toto tempore , quod fluit a Christo usque ad Antichristum , et diem judicii ; Sed etiam de animabus justis , quae non adoraverunt bestiam , neque imaginem ejus , scilicet impietatem , et mundum , et coetum impiorum , et mundanorum ; Cornel. a Lapid. in c. 17. Apocalyps. v. 3. , neque acceperunt characterem ejus in frontibus *per professionem , et in manibus per operationem* . S. August. l. 20. Civit. c. 9. Etenim inscriptio *in fronte* , ait S. Prosper in dimidio temporis cap. 5. est gloriatio *in malis operibus , inscriptio in manu est operatio* . Et observa , quod Apostolus loquitur simpliciter de animabus , non ergo de Sanctis jam resurrectis , et de animabus corpori unitis . Non dicit , quod viderit corpora decollatorum resurrexisse , sed tantum animas vixisse ; et dicit animas regnare , non Sanctos corpore indutos . Hae sunt illae Animae mortuae peccato , et mundo , mortuae etiam

cum Christo, et in Christo conresuscitatae; quae vivunt cum Christo; hi sunt illi mortui, qui vivent, et interfecti qui resurgent. Hi sunt illi, qui facti sunt Deo nostro Regnum, et Sacerdotes, et regnabunt super terram, ideoque data est illis sedes in Coelo, et judicium de hostibus suis. Congruit hujusmodi sensus tot Sacrae Scripturae locutionibus, quas supra retulimus, nec mirum esse debet, si aliquantum allegorice, et figurate loquatur Joannes in Apocalypsi, quae est Prophetia, cum tam saepe, ut vidimus, easdem locutiones adhibuerit Apostolus Paulus in epistolis suis, quae suorum discipulorum intellectui magis accomodatae esse debebant, quam prophetiae.

Sequitur: *Caeteri mortuorum non vixerunt, donec consumentur mille anni*. Scilicet caeteri mortuorum, qui non sunt mortui cum Christo, et in Christo, sed in peccatis moriuntur, et propter peccatum mortui dicuntur, non vixerunt vitam gratiae, et gloriae. *Donec consumentur mille anni*. Non est hoc loco illa particula *donec* accipienda eo sensu, ut credatur illos mortuos post spatium mille annorum spiritualiter vivere debere, quia qui in peccatis mortui sunt, et ad gehennam detrusi fuere, numquam in Christo

vivificabuntur. In Scriptura enim non raro particula *donec* indicat id tantum, quod factum, vel faciendum est usque ad certum tempus, quamvis etiam eo tempore elapso, eadem res nihilo secius in eodem statu permaneat. Hinc de S. Josepho scriptum est Matth. 1. 25. *Et non cognoscebat eam* (nempe B. Virginem) *donec peperit filium suum primogenitum*. Nec tamen ex illa particula *donec* inferre licet, quod post natum Salvatorem illi duo conjuges matrimonium consumaverint. Pater apud Psalmistam 109. 1. Messiam alloquens: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Et tamen etiam post subjectos sibi hostes Christus regnabit in dextera Dei Patris. Vide Gen. 28. 15., et 1. Reg. 15. 35., Isa. 46. 4., Matth. 12. 20., Psalm. 122. 13. Immo ait Isidorus Pelusiota l. 1. ep. 18. vox *donec*, pro *perpetuo*, in Divina Scriptura saepe posita reperitur, ut ait Dominus in Isaia 46. *Donec senueritis, ego sum*. Inde est, quod particula *donec*, et etiam *usque ad*, *usque quo*, *quo*, *tantisper dum*, et similes modo negant, modo affirmant de tempore futuro, modo notant *numquam*, modo designant *semper*. Sic igitur in hoc loco illa particula *donec* tantum significat id, quod toto illo tempore fu-

turum non sit, non tamen quid post illud tempus sit futurum. Suarez loc. cit., et August. de Civ. Dei l. 20. c. 7. n. 4. *Haec est resurrectio prima*. Scilicet prima respectu justorum, et etiam prima dignitate, resurrectio spiritualis de morte infidelitatis, et peccati ad vitam Fidei, et gratiae, de morte corporali ad vitam immutabilem gratiae, et gloriae; de morte, per quam Sancti moriuntur mundo, ad vitam, per quam in aeternum vivent cum Christo; a morte, per quam vetus homo crucifixus est, et destructum fuit corpus peccati, ad vitam, per quam renovatur homo in perpetuam spiritualem incorruptionem. Sicut enim qui corpore resurrecturi sunt in die judicii non amplius corporali morte morientur, ita qui spiritualiter resurgit, et vivit cum gloria in Christo, non morietur in aeternum. In hoc enim sita est resurrectio plena, adaequata, et perfecta justorum, ut non simpliciter resurgant in Christo a morte peccati, sed ita resurgant, ut amplius peccato subditi esse non possint, et gloriam perennem accipiant; et haec adaequata resurrectio animae non consummatur, ac perficitur, nisi quum post mortem corporalem ponitur Anima in statu permanenti tum gratiae, tum gloriae. Qui enim

resurgunt a morte infidelitatis, et peccati, donec in mundo versantur, sunt adhuc eidem morti obnoxii, ideoque non potest dici de illis, quod resurrectione perfecta, et gloriosa jam resurrexerint. Hinc ait Suarez loc. cit. *hanc spiritualem resurrectionem inchoari per gratiam, perfici autem in gloria*. Et Calmet. *Sancti autem Martyres resurrectionem illam obtinuerunt, quae a peccatis eximit, et eam, quae a corpore mortis liberat; eam pariter, quae a Purgatorii poenis immunem reddit, ideoque merito prima resurrectione donati dicuntur, opperiunturque secundam, quae corpora animabus perpetuo vinculo sociabit*. Idem explicabo per verba Cornelii a Lapide. *Prima ergo resurrectio est beatitudo solius Animae, qua Anima sola per mortem transit in vitam, et regnum caeleste. Haec dicitur resurrectio; quia Sancti, quum positis hic corporibus moriuntur, eo quod in vitam novam, eamque feliciorem evadunt, et trasmigrant, quodammodo resurgere videntur. Anima enim, moriente corpore, videtur pariter mori corpori, sicut corpus moritur animae, atque per hanc mortem transire in vitam caelestem. Secunda resurrectio est plena beatitudo, qua Anima cum corpore in fine mundi plene in eandem vitam beatam resurgent*. Et nota rur-

sus pro quibus dicat : *haec est resurrectio prima* . Dicit scilicet pro animis decollatorum , qui vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis . Igitur haec resurrectio prima est solummodo Vita et Regnum Animarum sanctarum cum Christo in caelis . Si ponas illas Animas corpori restitutas , et regnantes in terris, addis aliquid summopere notabile, quod Joannes non dixit ; immo primam resurrectionem diversimode omnino reprehesentas ab eo , quod Joannes significavit . Sequitur deinde : *Beatus , et Sanctus , qui habet partem in resurrectione prima* : *in his secunda mors non habet potestatem : sed erunt Sacerdotes Dei , et Christi , et regnabunt cum illo mille annis* : Nempe qui sunt admissi ad regnandum praesenti tempore cum Christo in caelo , sunt Beati , et Sancti . De iis dixerat etiam c. 3. 21. *Qui vicerit , dabo ei sedere mecum in trhono meo* : *sicut et ego vici , et sedi cum Patre meo in trhono ejus* . Hoc est in caelis , ubi Christus sedet ad dexteram Patris . Quare dicit *sedi* , et non *sedebo* ; et ex comparatione , quam hic instituit , sicut Christus loquitur de regno , et sede sua in caelis , sic in caelis , et non in terrena Jerusalem opus est collocare regnum , et sedes Sanctorum ; Qui e caelo regnant etiam super terram per ho-

nores, quos a Fidelibus accipiunt, et per miracula, quibus a Deo glorificantur. In iis non habet potestatem *secunda mors*, scilicet damnatio aeterna reproborum in die judicii, de qua dicitur deinde: *Et Infernus, et mors misi sunt in stagnum ignis. Haec est mors secunda*. Quae etiam vocatur mors aeterna. Hinc superius cap. 2. v. 10. et 11. dicitur: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae. Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis; Qui vicerit non laedetur a morte secunda*. Manifestum est, quod in eodem loco loquitur primum de morte corporali, *usque ad mortem*, et deinde de morte aeterna damnationis, quam non incurrit, qui perseveraverit usque in finem, et vicerit: *non laedetur a morte secunda*. Illi autem Sancti, et Beati sunt Sacerdotes mystici Dei et Christi, quia scilicet offerunt Deo sacrificia laudis, gratiarum actiones, et omnis obsequii, ut explicat Cornelius a Lapide.

Ne quis autem miretur, Joannem prius loqui de resurrectione spirituali, et deinde de corporali in die judicii, attendat, quid ipse referat in Evangelio prolatum fuisse a Christo. Joan. 5. 24. et sequ. *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et*

credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam, et in judicium non venit, sed transiit a morte in vitam. Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent. Audiamus igitur Augustinum in hunc locum. de Civ. Dei l. 20. cap. 6. Nondum de secunda resurrectione, id est corporum, loquitur, quae in fine futura est; sed de prima, quae *nunc est*. Hanc quippe ut distingueret, ait, *Venit hora*, et *nunc est*. Non autem ista corporum, sed Animarum est. Habent enim et animae mortem suam in impietate, atque peccatis. Propter istos ergo impietate, et iniquitate in anima mortuos, *Venit, inquit, hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent. Qui audierint*, qui obedierint, qui crediderint, et usque in finem perseveraverint. Nec fecit hic ullam differentiam bonorum, et malorum. Omnibus enim bonum est audire vocem ejus, et vivere ad vitam pietatis, ex impietatis morte transeundo... Qui per remissionem peccatorum vivunt, jam non sibi vivant; sed ei, qui pro omnibus mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram, ut credentes in eum, qui justificat impium, ex impietate justifi-

cati, tamquam ex morte vivificati, *ad primam resurrectionem quae nunc est*, pertinere possimus. *Ad hanc enim Primam non pertinent, nisi qui Beati erunt in aeternum*: Ad secundam vero de qua mox locuturus est, et beatos pertinere docebit, et miseros: Ista est misericordiae, illa judicii, Ecce quomodo etiam Augustinus primam resurrectionem vocat eam, quae inchoatur in hac vita per gratiam, et perficitur in altera per gloriam.

Deinde subjungit Christus in eodem loco v. 28. et 29. *Nolite mirari hoc*: nempe, nolite mirari hoc, quod dixi de resurrectione spirituali a morte peccati ad vitam aeternam; et cur? *Quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei. Et procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii*. Scilicet ex potestate suscitandi animas a morte peccati ad vitam gratiae, tamquam ex re majori, et difficiliori, probat Christus se habere potestatem suscitandi corpora, quod minus, et facilius est. Cornel. a Lapide. Et quod de hac loquatur in hoc secundo loco, subdit Augustinus: *Venit enim hora* (ubi non ait, *et nunc est*, quia in fine saeculi erit, hoc est in ultimo et maximo judicio Dei) *quando omnes, qui in mo-*

numentis sunt, audient vocem ejus, et procedent. Non dixit, quemadmodum in prima, *et qui audierint vivent*. Non enim omnes vivent, ea scilicet, quae quoniam beata est, sola vita dicenda est. Nam utique non sine qualicumque vita possent audire, et de monumentis resurgente carne procedere. Quare autem non omnes vivent, in eo quod sequitur docet: *Qui bona*, inquit, *fecerunt in resurrectionem vitae*, hi sunt qui vivent: *qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii*, hi sunt qui non vivent, quia secunda morte morientur. Mala quippe egerunt, quoniam male vixerunt; male autem vixerunt quia in prima, quae nunc est, animarum resurrectione non revixerunt, aut in eo quod revixerant non in finem usque manserunt; sicut ergo duae sunt regenerationes, de quibus jam supra locutus sum, una secundum fidem, quae nunc fit per Baptismum; alia secundum carnem, quae fiet in ejus incorruptione, atque immortalitate per judicium magnum, atque novissimum: ita sunt et resurrectiones duae, una prima, quae et nunc est, et animarum est, quae venire non permittit in mortem secundam; alia secunda, quae nunc non est, sed in saeculi fine futura est, nec animarum, sed corporum est, quae per ultimum judi-

cium alios mittet in secundam mortem, alios in eam vitam, quae non habet mortem.

Sequitur Augustinus cap. 7. De his duabus resurrectionibus idem Joannes Evangelista in libro, qui dicitur Apocalypsis, eo modo locutus est, ut earum prima a quibusdam nostris non intellecta, insuper etiam in quasdam ridiculas fabulas verteretur. Et revera mirandum est, quod fere nulli fuerint Scriptores, qui ad hoc Augustini argumentum attenderint. Nullum enim aliud est, quod ad explicationem c.20. Apocalypsis adeo conferat. Idem enim est Christus Jesus, qui loquitur in Evangelio Joannis, et qui in Apocalypsi per Angelum loquitur; et idem Joannes, qui scribebat in Evangelio, quod ab ipso audierat, et quod ab ipso audierat, scribebat in Apocalypsi. In Evangelio fit transitus a spirituali morte, vita, et resurrectione ad resurrectionem corporalem, et vitam, et mortem aeternam. Idem itaque fit in Apocalypsi, et locus Evangelii interpretatur locum Apocalypsis.

Post autem universae carnis resurrectionem describitur in Apocalypsi cap.21., et 22. felicitas aeterna Sanctorum in caelis. Haec est interpretatio obvia, et magis communis. Et nihilominus aliqui de terrena, nova, et felicissima Jerusalem interpretati sunt, quod

c. 21. v. 2. dicitur : *Et ego Joannes vidi Sanctam Civitatem Jerusalem novam descendentem a Caelo, sicut sponsam ornatam viro suo*. Materialiter hujusmodi descensum intellexerunt de caelo in terram. Sed sub nomine Jerusalem intelligitur illic triumphans Ecclesia; et de caelo descendere ista Civitas dicitur, quoniam caelestis est gratia, qua Deus eam fecit... Et de caelo quidem ab initio sui descendit, ex quo per hujus saeculi tempus, gratia Dei desuper veniente per lavacrum generationis in Spiritu Sancto misso de caelo subinde cives ejus accrescunt. Sed per judicium Dei, quod erit novissimum per ejus filium Jesum Christum, tanta ejus, et tam nova de Dei munere claritas apparebit, ut nulla remaneant vetustatis vestigia; quandoquidem et corpora ad incorruptionem atque immortalitatem novam ex vetere corruptione, atque mortalitate transibunt. Nam hoc de isto tempore accipere, quo regnat cum Rege suo mille annis, impudentiae nimiae mihi videtur: Cum apertissime dicat; *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; et mors jam non erit, neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor*. Quis vero tam sit absurdus, et obstinatissima contentione vesanus, qui audeat affirmare in hujus mortali-

tatis aerumnis, non dico populum Sanctum, sed unumquemque Sanctorum, qui hanc vel ducat, vel ducturus sit, vel duxerit vitam; nullas habentem lacrymas, et dolores: Cum potius quanto quisque est sanctior, et desiderii sancti plenior, tanto sit ejus in orando fletus uberior? . . . Verum in his verbis, ubi ait: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum &c.* tanta luce dicta sunt de saeculo futuro, et immortalitate, atque aeternitate Sanctorum, (tunc enim solum, atque ibi solum ista non erunt) ut nulla debeamus in litteris Sacris quaerere, vel legere manifesta, si haec putaverimus obscura. Ita S. Augustinus l. 20. de Civit. Dei cap. 17. Et revera, ejusdem Apocalypsis cap. 3. v. 12. dicitur: *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius: Et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novae Jerusalem, quae descendit de caelo a Deo meo, et nomen meum novum.* Ecce hic rursus dicitur de mystica Jerusalem, quod jam descenderit de caelo; quia scilicet Ecclesia tum militans, tum tryumphans est origine sua caelestis, in caelis enim orta est, et a Deo producta; unde ipsa a caelis ad homines terrestres descendere videtur, cum eos facit caelestes, ac beatos. Ita Cornel. a Lapide.

Qui vero non absimilem interpretationem c. 20. Apoc. inspicere vellet, legat Berengaudi expositionem Vision. 5. olim attributam S. Ambrosio, et quae invenitur inter Ambrosiana falso recepta. *Oper. S. Ambr. tom.* 8. *edit. Venet. Pitteri* 1782.

Verum tamen est, quod ex his locis Apocalypsis male intellectis aliqui ex antiquis Patribus decepti in opinionem millenariorum descenderunt, et cum eis, ut testatur S. Hieronymus in c. 20. Jerem., *multi Ecclesiasticorum virorum, et martyres*; qui putabant Christum visibiliter cum Sanctis in vitam restitutis regnaturum in terris ante diem judicii per mille annos. Non sunt autem isti confundendi cum sequacibus Cerinthi, qui huic regno carnales illicitas voluptates assignabant. Ideoque neque a S. Augustino l. 20. de Civ. Dei c. 7., neque a S. Hieronymo *loc. cit.* inter haereticos relati sunt, in eis locis, in quibus hujusmodi Doctores haereticorum sententiam refutarunt. Qui vero huic sententiae plus auctoritatis conciliavit, Papias fuit, Joannis Evangelistae discipulus, et socius S. Polycarpi, qui opinionem de millenario Christi in terris regno ex Apostolis, eorumque discipulis sese hausisse affirmabat. *Euseb. l. 3. hist. Eccles. c.* 39., idque persuasit Justino Marty-

ri. *Dial. cum Triphon.*, Tertulliano *l. contr. Marcion. cap.* 24., Irenaeo *l.* 5. *cap.* 33., Lactantio *l.* 7. *c.* 24., Victorino apud *Hieron. in Ezech.* 36., *et in Isai.* 65. et aliis quibusdam. Contra vero eandem sententiam alii ex antiquis Patribus impugnarunt. S. Dionysius Alexandrinus apud *Euseb.l.*7.*c.*24.data opera refellit Nepotem, qui librum scripserat pro tuenda Millenariorum opinione. Cajus praesbyter Romanae Ecclesiae apud *Euseb. l.* 3. *c.* 28. sententiam hanc inter Cerinthi fabellas traducit, eandemque non semel Origenes in scriptis suis reijcit. *l.* 2. *de Princip. c.* 2. Denique per S. Augustinum, et S. Hieronymum, qui eam flocci fecerunt, non amplius inter Catholicos probatos Doctores visa est. Haec jam supra innuimus.

Non desunt tamen aliqui, qui eam non omnino spernendam judicent ex hoc ipso, quòd per quinque fere saecula à plurimis Ecclesiasticis viris, et martyribus adoptata fuerit, adeo ut S. Hieronymus propter tantam auctoritatem diceret, se non posse hanc sententiam damnare, et unumquemque in suo sensu abundare, et cuncta judicio Domini reservari. *In Jerem.* 20. Et in *praefat. ad c.*65. *Isai.* ait, quod in hac parte dumtaxat plurima nostrorum multitudo Appollinarium se-

quebatur. Nihilominus dicendum, quod regnum illud Millenarium amplius sustineri non possit, si Ecclesiasticae auctoritatis regulae recte attendantur. Etenim exploremus primum, quanti facienda sit auctoritas Patrum, qui pro millenarii Regni sententia adducuntur. Dux et antisignanus hujus sententiae fuit Papias, qui testatur in initio sui operis se ea, quae ad fidem pertinent, ab illis, qui Apostolis noti, et familiares erant, accepisse. Sed audiamus Eusebium, quid de eo, et de ipsius sententia referat. Euseb. lib.3. c.33. *Alia praeterea idem Auctor, quasi traditione non scripta ad se pervenisse commonstrat, quae peregrinas quasdam Salvatoris parabolas, et novas ejus doctrinas, aliaque nonnulla commenticiis fabulis referta continent: in quibus asserit, Regnum Christi post universae carnis resusrectionem mille annos humano, et corporeo more in terra hac continuatum et stabilitum fore: quae quidem dogmata credo, eum propterea excepisse, quod Apostolicas interpretationes, quae ab illis essent arcanis figuris; et parabolis suboscuris expositae, male intellexisset. Nam homo erat (sicut ex ejus scriptis facile licet conjecturam capere) ingenii pertenuis: Caeterum plerisque Ecclesiasticis viris, qui nominis antiquitatem pro suarum partium defen-*

sione citabant, persimilis erroris auctor extitit, ut Irenaeo, et si quisquam alius eadem cum illo sentire videbatur. Ita apud Baron. Ego autem summopere miratus sum, quod pro Millenario Regno ante universale judicium quasi auctor, et testis inter Catholicos Doctores adducatur hic Papias. Non enim ille mille annos illius regni ante judicium statuebat, sed expresse, ut testatur Eusebius, *post universae carnis a mortuis resurrectionem*. Differt igitur omnino sententia Papiae a vulgari millenariorum opinione de partiali resurrectione justorum, et eorum regno cum Christo visibiliter conversante in terris per mille annos ante resurrectionem reproborum, et universale judicium. Idem dicendum esset de S. Irenaeo, qui hanc sententiam a Papia hauserat. Sed tamen si percurrantur capita 33. et 34., et 35. 36. l. 5., in quibus exponit sententiam de temporali, et terreno regno Sanctorum, contrarium apparebit; et hoc eo magis ostendit diversitatem et inconstantiam hujus opinionis.

Notandum est autem circa Papiam, quod eum Eusebius vocat hominem *mediocris admodum ingenii*, juxta translationem Valesii, aut juxta alios *pertenuis ingenii*, et quidem in interpretandis Scripturis. Quare et-

iam illi duae aliae antiquatae, et obsoletae opiniones tribuuntur, quae ex eadem falsa sacrarum litterarum interpretatione ortum habuerunt. Prima est, quod Angeli, quibus a Deo cura aliqua administrationis commissa fuerat, potentia sua abusi ab officio deerassent. Altera, quod Judas non statim suspendio perierit, sed delapsus supervixerit, et curru ita compressus fuerit, ut ejus effunderentur omnia intestina. Vide Petrum Halloix *in Vit. Scriptor. Eccles. Orient. primi saec. Duaci* 1633. *pag*. 662. *col*. 2. Hoc autem probat, quod non omnia, quae orali traditione Papias acceperat, erant a falsitatis, et absurditatis nota innocua, et defaecata. Quod si liber de *Ecclesiae Hierarchia* Dionysio Areopagitae tribuendus esset, ut ipse Petrus Halloix contra Calvinistam Scultetum contendit, *ibidem in Dionys. qu*. 2. *pag*. 175. *et seq*., dicendum esset, jam ab initio modeste quidem, sed tamen manifeste opinionem Papiae tamquam errorem explosam fuisse. Ait enim Auctor *Eccles. Hierarc. c*. 7. *Alii autem, nescio quo pacto, ad terrestrem, et corpoream inclinantes intelligentiam probis, ac justis sanctissimum, atque beatissimum finem huic vitae similem promissum esse dixerunt: et cibos mortali conditioni proprios iis, qui pares futuri*

sunt Angelis, non recte projecerunt. Faxit vero Deus, ut ne quis Sanctissimorum virorum in hos aliquando errores delabatur. Verosimiliter ad Papiam, et ejus asseclas etiam alludebat Origenes, qui in Prologo in Cantic. ita scripsit. Unde accidit, ut simpliciores quidam nescientes distinguere, ac secernere quae sint, quae in Scripturis divinis interiori homini, quae vero exteriori deputanda sint, vocabulorum similitudinibus decepti ad ineptas quasdam fabulas et figmenta inania se contulerint: ut etiam post resurrectionem cibis corporalibus utendum crederent, potumque sumendum non solum ex illa vite vera, et vivente in saecula, verum et ex *his vitibus et fructibus ligni*. Haec de Papia; nunc vero quoad Irenaeum.

Dicendum igitur, quod illa opinio Sancti Irenaei inter ejus naevos, qui tamen pauci sunt, ennumeranda est, quam ex libris Papiae desumpsit, et ex quorundam praesbyterorum relatione. Neque hoc officit ejus auctoritati in caeteris apud doctos, qui sciunt etiam in viros pios aliquando irrepere posse aliquam credulitatem. Et revera difficile est a simplicis credulitatis nota eximere, quod S. Irenaeus a Praesbyteris acceptum refert, tamquam auditum a Joanne, et Jòanni di-

ctum a Domino circa felicitatem regni millenarii: cap. 33. *Venient dies, in quibus vineae nascentur singulae decem millia palmitum habentes, et in uno palmite dena millia brachiorum, et in uno vero palmite decem millia flagellorum, et in unoquoque flagello dena millia botruum, et in unoquoque botro dena millia acinorum, et unumquodque acinum expressum dabit vigintiquinque metretas vini. Et cum eorum apprehenderit aliquis Sanctorum botrum, alius clamabit. Botrus ego melior sum, me sume, per me Dominum benedic. Similiter et granum tritici decem millia spicarum generaturum, et unumquamque spicam habituram decem millia granorum, et unumquodque granum quinque bilibres similae clarae mundae, et reliqua autem poma, et semina, et herbam secundum congruentiam in consequentem: Et omnia animalia iis cibis utentia, quae a terra accipiuntur, pacifica et consentanea invicem fieri subjecta hominibus cum omni subjectione. Haec autem et Papias Joannis Auditor, Polycarpi autem contubernalis, vetus homo per scripturam testimonium perhibet in quarto librorum suorum; sunt enim illi quinque libri conscripti. Et adjecit dicens: Haec autem credibilia sunt credentibus. Et Juda,* inquit, *proditore non credente, et interrogan-*

te : Quomodo ergo tales geniturae a Domino perficientur ? Dixisse Dominum : Videbunt, qui venient in illa . Quis autem credere poterit, talia fuisse dicta a Christo Domino ? Hinc nil mirum si, ut ait S. Hieronymus *praef. in c.* 65. *Isai.*, *adversus eum vir eloquentissimus Dionysius Alexandrinae Ecclesiae Pontifex elegantem scripsit librum irridens mille annorum fabulam* . Quantum hic loquendi modus distat ab eo, quem in Evangeliis admiramur ? Plura alia sunt in sequentibus capitibus, quae non bene sonant. Videtur enim, quod Sancti isti in illo regno non fruentur visione Dei, sed ad incorruptionem, et gloriam praeparabuntur. cap. 35. *Et sicut vere resurgit, sic et vere praemeditabitur incorruptelam, et augebitur, et vigebit in Regni temporibus, ut fiat capax gloriae Patris : Deinde omnibus renovatis vere in Civitate habitabit Dei*; scilicet post universale judicium. Tunc autem cap. 36., *quemadmodum Praesbyteri dicunt, tunc qui digni fuerint caelorum conversatione, illuc transibunt idest in caelos, alii tuto Paradisi delitiis utentur, alii autem speciositatem civitatis possidebunt*; *ubique autem Deus videbitur* : Confer quae dicit, cap. 31. *Manifestum est, quia et discipulorum ejus, propter quos et haec operatus est Dominus, Ani-*

V 3

mae abibunt in invisibilem locum definitum eis a Deo, et ibi usque ad resurrectionem commorabuntur sustinentes resurrectionem, post recipientes corpora, et perfecte resurgentes, hoc est corporaliter, quemadmodum et Dominus resurrexit, sic venient ad conspectum Dei. Si S.Irenaeus, ut aliqui suspicati sunt, putavit visionem, et fruitionem Dei diferri Animabus beatis post mortem usque ad supremum judicium, nihil mirum esset, si descenderit in eam opinionem, ut crederet Sanctos resurrecturos ante universale judicium, et per mille annos fruituros bonis temporalibus, et cibo, et potu in terrestri regno Jerusalem, et ibi ad visionem, et fruitionem Dei praeparari. Sed quoniam nunc temporis salva fide negari non potest, quod Animae Sanctorum facie ad faciem videant Deum ante diem resurrectionis, et judicii, ut in Concil. Florentin. definitum est contra errorem Armenorum, ita etiam corruit regnum temporale millenarium, quod videtur illam beatificae visionis privationem apud Irenaeum supponere. Non omittam autem, quod in Eusebio notavi, qui refert *hist. Eccles. l. 5. c. 20.*, Irenaeum adversus Valentinianos librum scripsisse *de Octonario*, qui nobis excidit, et in cujus fine haec legabantur. *Adjuro te, qui tran-*

scripseris hunc librum, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per gloriosum ejus Adventum, in quo judicaturus est vivos, et mortuos &c. Ita Irenaeus ex testimonio Eusebii. Hic autem Irenaeus certe loquitur ex communi fide et doctrina sui temporis, et conjungit gloriosum Christi adventum cum judicio vivorum, et mortuorum. Haec autem verba non video, quomodo aliter interpretari possint, nisi de judicio universali, in quo si mortui judicandi sunt, utique supponitur, quod surrexerint, et non solum justi mortui sed etiam impii, quia de mortuis omnibus indistincte, et de eorum judicio loquitur Irenaeus cum Apostolorum Symbolo.

Caeterum concludendum est, quod de hoc argumento nulla fides sit Irenaeo, qui nimis facilem aurem simplicibus Praesbyteris praebuit, neque hoc officit eximiae doctrinae ipsius Irenaei in caeteris, quoniam et Eusebius, qui illam millenariorum sententiam irrisit, tamen et merito Irenaeum inter eos recenset, quibus propter verae rectaeque opinionis Ecclesiasticae patrocinium plurima fides adjungenda est.

Quid autem de Sancto Justino dicam? Omnes conveniunt, in Dialogo cum Tryphone cap. 80. et 81., Justinum cum tempera-

tis Millenariis sentire, quamvis ibidem fateatur, diversimode opinari plures Christianos etiam *ex eo genere, quod piam, ac puram, sequitur sententiam*. Nuperrime tamen Joannes Baptista Galliciolli in dubium revocavit, an Justini opinio conveniat in omnibus cum caeteris millenariis, ut videre est in ejus italica translatione Operum S. Justini; *Venetiis* 1799. *typis Antonii Curti tom. 2. in notis pag.* 347. *et seq.* Hoc autem certum est, quod in Apologia prima, in qua publice Christianorum fidem ad Antoninum Pium exponit, ita loquitur de secundo adventu Christi, et universali resurrectione, ut nullum locum intermedium pro regno mille annorum ibi relinquat. Ait enim num. 52. *Duos enim illius adventus praedixerunt Prophetae, unum quidem, qui jam exhibitus est, tamquam despecti, et passibilis hominis; alterum autem, quando cum gloria e caelis una cum angelico ipsius exercitu adventurus praedicatur: quando et corpora exuscitabit omnium, quicumque extiterunt hominum; ac dignorum quidem corpora induet incorruptione, iniquorum autem in perpetuo sensu cum pravis daemonibus in ignem aeternum mittet*. Ecce adventus secundus Christi, et immediata simultanea resurrectio omnium hominum simul cum retributione aeterni

praemii, vel poenae. Equidem etiam hic miratus sum, hunc locum praeteriri fere ab omnibus, qui de opinione Justini circa regnum millenarium agunt. Eam tamen notavit Monacus ex Congregat. S. Mauri in Praefat. ad Justinum part. 2. c. 12. Facile autem est animadvertere, quod in Dialogo cum Triphone Justinus loquitur de privata opinione; in apologia autem de communi Christianorum doctrina. Quomodo autem illa privata opinio cum hac communi doctrina convenire possit, difficile erit explicare. Quare eo minus improbabilis videtur sententia Cl. Gallicciolli, qui de Justini opinione in Dialogo expressa dubitavit. Et revera in ipso Dialogo Justinus antea dixerat de secundo Christi adventu, quod in eo alii in condemnationem mittentur, alii doloris expertem statum consequentur, sine intervallo temporis inter istos, et illos. num. 45. *Et in secundo ipsius Christi adventu ab his, qui in eum credunt, et ita vivunt, ut ei placeant, penitus (mors) facesset, nec jam ulla sit; cum alii quidem in judicium, et condemnationem ignis perpetuo cruciandi mittentur, alii vero perpessionis, et corruptionis, et doloris expertem statum, atque immortalitatem consequentur*. Sic num. 35. Judaeis credentibus salutem aeternam pro-

mittit *in secundo adventu, qui gloriosus futurus est*; non credentibus autem aeternum ignem minatur. Agit etiam n. 14. de duplici adventu, quorum in altero plangent Judaei interfectores Christi; quod repetit rursus n. 32. Quare difficile erit, diversos hujusmodi locos conciliare cum millenariorum opinione. Si autem dici posset, quod in praesenti eruditis non arridet, Apologiam, quae nunc dicitur prima, esse secundam, ut in antiquis editionibus invenitur, et citatur ab Eusebio, et a S. Joanne Damasceno, et praeterea esse posteriorem Dialogo, ut de secunda Apologia nunc asseritur. *Gallic. in praefat. ad Dialog. n.* 8., obvium esset dicere, quod Justinus melius de fide edoctus Millenariorum sententiam deinde exuerit. Quidquid sit, major fides debetur Justino, quum in publico profert communem sui temporis Christianorum doctrinam, quam cum privatam opinionem obscure Judaeo Triphoni exponit.

Lactantius Firmianus indubitate fuit in sententia Millenariorum. Patet manifeste *ex cap.* 24., *et seq. l.* 7. *divinar. institut.* Sed de ejus auctoritate audiatur Bellarminus de script. Eccles. *Et quidem Opera omnia, exceptis carminibus, sine controversia Lactantii sunt: et quemadmodum ad eloquentiam Tullia-*

nam proxime accedunt, ita erroribus variis sic deformata sunt, ut non sine causa Gelasius Papa in Concilio Romano apocrypha censeri voluerit. A S. Hieronymo etiam dicitur in superstitionibus gentilium refellendis solidior, quam in Religionis Christianae dogmatibus confirmandis. Quid igitur conferre potest ad illam opinionem corroborandam Lactantii auctoritas?

Tertullianus contra *Marcion. l. 5. c. 24.* in opinionem Millenariorum descendere ostendit. Sed in libro *de Praescriptionibus*, ubi Regulam fidei exponit, juxta communem, antiquam, et praesentem doctrinam loquitur. Ait enim c. 13. *Regula est autem fidei, ut jam hinc quid credamus profiteamur, illa scilicet qua creditur ... Jesum Christum .... tertia die resurrexisse: in caelos ereptum sedere ad dexteram Patris: misisse vicariam vim Spiritus Sancti, qui credentes agat: Venturum cum claritate ad sumendos Sanctos in vitae aeternae, et promissorum caelestium fructum, et ad prophanos judicandos igni perpetuo, facta utriusque partis resuscitatione cum carnis resurrectione. Haec regula a Christo ut probabitur instituta, nullas habet apud nos quaestiones, nisi quas haereses inferunt, et quae haereticos faciunt*. Vides, quomodo hic Tertullianus

manifeste connectat adventum Christi cum universali hominum resurrectione, et judicio. Ubi igitur locus regno millenario Christi in terram advenientis, et visibiliter cum Sanctis resurrecturis ante diem judicii pariter in terra commorantis? Hujusmodi itaque erat communis fides et doctrina tempore Tertulliani, ut ipsemet fatetur. Ex privatis autem Tertulliani opinionibus, quae saepe erroribus scatent, nullum nobis negotium adversarii facessere poterunt. Notandum praeterea, quod Tertullianus in eo loco contra Marcionem justis post resurrectionem non corporales, sed spirituales unice delicias repromittit per mille annos in terra, in Civitate Hierusalem e caelo delata. *Hanc dicimus excipiendis resurrectione Sanctis, et refovendis omnium bonorum utique spiritualium copia in compensationem eorum, quae in saeculo vel despeximus, a Deo prospectam*. Sed forte in l. *de Fidelium spe* diversimode loquebatur, quia eum Gennadius inter eos recenset, qui Sanctis cibum et potum post resurrectionem promittebant. *de Eccles. Dogmat. c.* 55.

Cum Millenariis vero a S. Hieronymo annumerantur etiam Victorinus Pictaboniensis Episcopus, et Severus Sulpitius in Dialogo, cui *Gallo* nomen imposuit. *in Ezech.*

cap. 36. Sed Victorini opera a Gelasio Pontifice in Apocryphorum classem rejecta sunt, eo quod, ait Natalis Alexander saecul. 4. c. 6. art. 2., Millenariorum fabulas in eis obtruderet, praecipue in commentario in Apocalypsim. Quamobrem qui nunc extat commentarius sub ejus nomine, cum ibi contra Millenarios totis viribus pugnet, falso ei adscribitur. Pariter Sulpitii Severi Dialogi, in quibus interlocutores sunt *Posthumianus et Gallus*, a Gelasio Papa inter apocrypha relata sunt ob eandem opinionem. Natal. saecul. 6. c.4. art. 2.

Inter Millenarios etiam adscribitur Commodianus, qui saeculo quarto floruit. A Gelasio ejus opera inter apocrypha rejecta sunt. De eo sic scribit Gennadius in Catal. *Quia parum nostrorum attigerat literas, magis illorum dogmata destruere potuit, quam nostra firmare. Unde et de divinis repromissionibus adversus illos vili satis, et crasso, ut ita dixerim, sensu disseruit, stuporem illis, nobis desperationem incutiens, Tertullianum et Lactantium, et Papiam auctores secutus*.

Notandum autem est, quod opera a Gelasio inter apocrypha recensita sunt quidem ex aliqua parte eo nomine inusta, quod falso adscripta Patribus aut Ecclesiae circum-

ferentur, sed ex maxima parte, quod fabulas, et errores continerent, aut quia ab haereticis et schismaticis adulterata, et in favorem haeresis, aut schismatis praedicata fuerint.. Ex prima classe certe non sunt Opuscula Lactantii, Victorini, Posthumiani et Galli, et Commodiani. Restat igitur, ut inter ea adnumerentur, de quibus ait Gelasius in Decreto: *Caetera, quae ab haereticis sive schismaticis conscripta, vel praedicata sunt, nullatenus recipit Catholica, et Apostolica Romana Ecclesia, e quibus pauca, quae ad memoriam venerunt, et catholicis vitanda sunt, credimus esse subdenda*. Concil. Mansi tom. 8. col. 150.

Quibus positis manifestum est, quam parvi sit facienda auctoritas Patrum, qui pro Millenariorum sententia adducuntur. Primo enim non traditionis auctoritatem praeseferunt, quoniam illud traditum censetur: *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus traditum est*; ut ait Vincentius Lirinensis in Commonitorio. Perpetua autem traditio adduci nequit pro sententia, quae sub finem secundi saeculi incaepit, et quidem in fide unius Papiae viri admodum mediocris ingenii, et aliquorum Praesbyterorum, quorum nomina ignorantur; deinde vero sub saeculi

quinti finem inter catholicos omnino defecit; neque pariter universalitas, quum pauci fuerint ex Patribus, qui eam docuerunt, et si demantur eorum opera, quae inter apocrypha a Gelasio recensentur, et inter quae etiam Tertulliani opuscula, et Nepotis computantur, vix tres, aut quatuor fide digni supersint. Secundo dux, et antesignanus inter catholicos hujus sententiae fuit ille Papias, qui in Scripturis interpretandis ut homo admodum mediocris ingenii ab Eusebio traducitur. Tertio plura ridicula, et indecora in hanc sententiam invexerunt ipse Papias, Irenaeus, et Nepos. Quarto publica, et communis Christianorum doctrina per ea saecula valde absimilis erat, ut ex ipso Justino, et Tertulliano discitur, et ex aliis pluribus Patribus, qui diversimode sentiebant, Cajo, Dionysio Alexandrino, Eusebio, Augustino, Hieronymo, Epiphanio, Gregorio Nazianzeno, Efrem Syro, et Theodoreto; *vide Tillemont de Millenariis*; quorum Opera aut inter suscipienda expresse a Gelasio adnumerantur, aut certe inter apocrypha non rejiciuntur. Quinto haec sententia, quamvis ab illicitis carnalibus voluptatibus abstineat, tamen aliquem favorem praestare videtur Apollinari, et ejus sequaci,

bus, et ideo etiam post saeculum quintum fuit a Catholicis destituta. Sexto non solum non conveniunt illi Patres inter se de millenarii regni deliciis, eventibus, et circumstantiis, sed neque etiam de tempore scilicet an ante, an post universalem resurrectionem, ut in Papia adnotavimus, et in Irenaeo. Quare etiam ad traditionis auctoritatem huic sententiae conciliandam uniformitas doctrinae in ejus Patronis deest. *Vide Tournelly de Deo qu.* 12. *art.* 1. Denique Commodiani, Victorini, Posthumiani et Galli opuscula inter apocrypha recensita, et quidem probabiliter ob Millenariorum sententiam, argumento sunt, hanc opinionem a Romana Ecclesia etiam in Auctoribus caeteroquin Catholicis repudiatam fuisse. Gennadius, qui fuit Gelasio cohaevus, vidimus, quomodo eam in Commodiano reprehenderit; et certe post Gelasii Decretum talis opinio, ut diximus, inter Catholicos non amplius revixit, quia fortasse eam virtualiter, et implicite a Gelasio in suo Decreto damnatam agnoverunt.

Verumtamen subjungere poteris, non fuisse solum aliquos Patres, qui pro temperata Millenariorum sententia steterunt, sed etiam *plurimam nostrorum multitudinem*, ut

testatur S. Hieronymus *praef. in l.* 18. *comment. in Isaiam* . Respondeo primo, non pluris faciendam esse multitudinis opinionem, quam eorum Patrum, a quibus eam nostri didicerunt. Deinde vero si attendatur testimonium Hieronymi, illa multitudo, non Papiam, sed Apollinarium, quamvis solum in hac parte, sequebatur. Ait enim. *Cui* (Dionysio Alexandrino) *duobus voluminibus respondit Apollinarius, quem non solum suae sectae homines, sed et nostrorum in hac parte dumtaxat plurima sequitur multitudo; ut praesaga mente jam cernam, quantorum in me rabies concitanda sit. Quibus non invideo, si tantum amant terram, ut in regno Christi terrena desiderent: et post ciborum abundantiam, gulaeque, ac ventris ingluviem, ea quae sub ventre sunt, quaerant. De quibus ... Dominus atque Salvator ... Erratis, inquit, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt similes Angelorum*. Quas nuptias Nostros expetisse alibi etiam reprehendit Hieronymus. l.10. in c. 35. Isai. *Judaei autem et Nostri judaizantes ad secundum (adventum) referunt ... hostiarum sanguinem, cunctarumque gentium servitutem, et uxorum pulchritudinem desiderantes*. Quare nemo non videt,

quam parum, immo nihil, ad Millenarii regni stabilitatem conferat illa quamplurima Nostrorum multitudo, quae Judaicas fabulas sequebatur. Quod si alibi idem Hieronymus affirmat, etiam Ecclesiasticos viros, et Martyres dixisse, rursum restitui debere *victimas, Sacrificia, et conjugia Sanctorum, et regnum in terris Domini Salvatoris*; ac propter eorum auctoritatem se non posse eam sententiam damnare, *in Jerem. c.* 19., non ideo nunc talis sententia non est damnanda, postquam contraire evangelicis litteris legalium observantiarum restitutionem, et Sanctorum post resurrectionem conjugia omnis Ecclesia fatetur; et postquam definitum est, Sanctorum animas divina visione, et beatitudine frui ante suorum corporum restitutionem, post quam Sanctis jam Deum videntibus, et fruentibus humana conjugia tribuere et indecorum, et absurdum esset. Certe etiam Gennadius eos, qui nuptiarum copulam post resurrectionem delirabant, ad Cherinthi, et Marcionis scholam adscribit, eos vero, qui simpliciter cibum, et potum, inter discipulos Papiae, Irenaei, Tertulliani, et Lactantii recenset. *de Eccle. dogm. cap.* 55. Quid vero dicam de discipulis Nepotis, qui adeo multi erant, ut in Arsiniotica praefectura, sicuti Dionysius refert

apud Euseb. hist. Eccles. l.7. c. 24. , propter eos schismata , et integrarum Ecclesiarum defectiones fierent ? Quod sane indicat , ejus sententiam a pluribus in Ecclesia non bene auditam fuisse . Ipsi autem illius libri praecones erant quidam Doctores , *qui legem quidem , ac prophetas nihili faciant* ; *Evangelia sequi negligant* ; *Apostolorum epistolas contemnant* : *hujus vero libri doctrinam quasi magnum aliquod , et arcanum Sacramentum venditent , et simpliciores quosdam ex fratribus nostris nihil sublime , atque magnificum , nec de glorioso prorsusque divino adventu Domini nostri , nec de resurrectione nostra , nostrique ad Christum aggregatione , et adsimilatione sentire patiantur , sed levia quaedam , ac mortalia , et qualia nunc homines sperare solent , in regno Dei cogitare jubeant* . Haec de illis Dionysius *loc. cit.* Quis autem hanc discipulorum Nepotis multitudinem tam inepte , et irrationabiliter sentientem , pro millenarii regni adstruenda opinione aliquid conferre praesumat , aut inde potius contra eandem opinionem validissima argumenta non depromat ?

Sed dixerit aliquis : Esto quod aliquorum Patrum auctoritas parum ponderis tribuat Millenariorum sententiae . Tamen verum est , quod opposita sententia non om-

nes Ecclesiae Patres pro se habet, ideoque tam firma non est, et certa, ut catholico ab ea recedere non liceat. Illud enim tantum absque ulla dubitatione credendum ducimus cum Vincentio Lirinensi, quod non unum, aut duos tantum, sed omnes pariter uno, eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter Patres tenuisse, scripsisse, docuisse cognovimus. In hoc autem argumento non certe omnes Patres idem sensisse intelligimus, sed plures, et quidem ex prioribus saeculis pro Millenariis stetisse demonstramus. Respondeo, me temperatam Millenariorum sententiam non ut haereticam traducere; sed tamen contendo, quod in praesenti tempore sit ad minimum improbabilis, quia ex una parte est destituta omni gravi auctoritate, ex altera vero habet auctoritates contra se gravissimas, et ineluctabiles.

Et quoad primum, si qua esset pro Millenariorum sententia gravis Patrum auctoritas, ea foret, quam supra adduximus, et explanavimus. Sed rationes, et animadversiones jam relatae satis manifeste evincunt, nihil roboris eorum auctoritatem in Millenariam opinionem conferre; quod pauci, nec primi saeculi, nec omnes primae notae, nec inter se conformes, nec sibi ipsis con-

stantes, et plures inter apocryphos relati, ex eis ostendantur. Ergo non est, cur super eorum auctoritate Millenariorum opinio innitatur. Contra vero textus Evangelii, Apostolorum, et Conciliorum, in sensu obvio et fere semper litterali explicati, juxta magis communem interpretationem Patrum, et sensum Ecclesiae, probant, ut vidimus, non intercedere inter secundum Christi adventum, et universalem defunctorum resurrectionem hoc mille annorum spatium. In idipsum conveniunt Patres, et traditio primi saeculi, et etiam post exortam Papiae opinionem, excepto Justino, et Irenaeo, omnes Patres, et Doctores primae notae, usque ad quintum saeculum. Post illud vero saeculum, in quo fortasse moderata Millenariorum sententia in Victorino, Commodiano, et Sulpitio Severo, a Gelasii Papae Decreto repudiata est, nemo inter Patres, et Doctores Ecclesiae invenitur, qui Millenarium regnum asseruerit; plures illud oppugnarunt; omnes, quum de adventu Domini, et resurrectione agunt, ita loquuntur, ut in sensu obvio, et litterali significent, moraliter simultaneam fore resurrectionem justorum, et reproborum, et nullum notabile tempus inter gloriosum Christi adven-

tum, et universae carnis resurrectionem intercessurum. Audi Gennadium, qui sub quinti saeculi finem floruit: *Erit resurrectio mortuorum omnium hominum, sed Una, et Insimul, et Semel. Non prima justorum, et secunda peccatorum, ut fabula est somniatorum; sed Una Omnium.* Apud Huetium in notis ad Origenem in Matthae. tom. 17. edit. Venet. 1743. tom.3. pag.449. Ergo auctoritas Scripturarum, Ecclesiae, et communis Patrum stat pro sententia Millenariis opposita. Dico: *communis Patrum*; primo quia dissensus aliquorum respectu aliorum multitudinis facit equidem, ut aliorum sententia non possit vocari omnino unanimis, et universalis, sed non aufert oppositae sententiae, quod sit *communis*, quum in magna communitate aliquorum dissensus non attendatur, maxime, ut in casu nostro, si non sit in iisdem circumstantiis, et ejusdem conditionis; deinde vero, quia regula est, quum Patres pro aliquo tempore quamlibet sententiam pro utraque parte irreprehensibiliter docuerunt, et deinde velut agmine facto unam partem deserentes ad aliam omnes confugerunt, quod eorum auctoritas ab eo tempore computari debeat, in quo unanimi consensu aliquam partem amplexi sunt. Immo

hoc manifeste indicat, quod oppositam, consideratis mature rationibus, et auctoritatibus, tandem ut improbabilem rejecerunt.

Accedit autem, quod universa Theologorum schola contra Millenarios sentiat, ita ut a duodecimo saeculo usque ad decimum nonum, in quo versamur, nemo fere probatae notae, et doctrinae Theologus ostendi possit, qui illud mille annorum regnum inter gloriosum Christi adventum, et universae carnis resurrectionem admiserit, non solum in sensu Cerinthi, sed neque in sensu Papiae, et Irenaei. Nemo autem ignorat, quanti facienda sit concors omnium Theologorum de fide aut moribus sententia; ita ut asserat Melchior Canus *de Loc. Theol. l. 7. c. 4. ter. Concl. quod illi contradicere, si haeresis non est, at haeresi proximum est*. Neque hoc dico, quasi Millenariorum temperatae sententiae hanc notam impingere velim. Etenim ab hac nota eam fortasse excipere poterit aliquorum Patrum antiqua auctoritas. Nihilominus animadvertendum est, quod, quum scholae Theologorum fuerint illis Patribus posteriores, et eos ad examen revocaverint, et cum aliorum Patrum agmine contulerint, et Scripturarum, et Conciliorum auctoritati comparaverint, si eaedem scholae unanimi vo-

to in eandem sententiam concesserunt, evidens signum est, quod oppositam a Scripturis, Conciliis, et meliori Patrum, et Doctorum auctoritate alienam esse intellexerunt. Praeterea, ut ait ibidem Melchior Canus, si in aliqua quaestione, quae fidem respicit, universi Theologi errarent, Ecclesiam item errandi periculo exponerent. Sive enim qui confessiones audiunt, sive qui ad populum habent conciones, ii omnes plebem instituunt, sicuti a Theologis acceperunt. Quod revera accidit in casu nostro. In omnibus enim Catechismis, et Concionibus, et in explicatione Symboli, quum de universali judicio sermo habetur, omnes pastores, catechistae, et concionatores in Catholica Ecclesia exponunt gloriosum Christi adventum cum universae carnis resurrectione, et judicio conjunctum. Ita fit, ut si hoc falsum esset, Ecclesia ipsa, in Theologorum fide communem errorem dissimulando, Christi fideles suo silentio deciperet. Atque Deus ipse, si Theologorum omnium errorem non aperiret, in necessariis Christiano populo deesset. Quid enim facturus est populus imperitus, nisi eos sequi, quos pro illo tempore Ecclesiasticae Doctrinae magistros accepit, absque Catholicae Ecclesiae contradictione?

Ad confirmationem audiantur aliqui ex

praecipuis Theologiae Doctoribus . S. Thomas in 4. Sentent. dist. 43. qu. 1. art.3., docet, quod *resurrectio differtur usque ad finem mundi , in quo omnes simul resurgent . Sic Job.* 24. *et Hebr.* 11. *Deinde ad quartum dicendum , quod occasione illorum verborum (Apocalips. cap.* 20. *) ut Augustinus narrat . l.*20. *de Civ. Dei quidam haeretici posuerunt primam resurrectionem futuram esse mortuorum , ut cum Christo in terra mille annis regnarent , unde vocati sunt Chiliastae quasi Millenarii . Et Augustinus ibidem ostendit , verba illa aliter esse intelligenda , scilicet de resurrectione spirituali , per quam homines a peccatis dono gratiae resurgunt ; secunda autem resurrectio est corporum . Regnum autem Christi dicitur Ecclesia , in qua cum ipso non solum martyres , sed etiam alii electi regnant , ut a parte per totum intelligatur , vel regnant cum Christo in gloria quantum ad omnes ; et fit specialiter mentio de Martyribus , quia ipsi praecipue regnant mortui , qui usque ad mortem secundum veritatem certaverunt . Millenarius autem non significat aliquem certum numerum , sed designat totum tempus , quod nunc agitur .*

Pariter S. Bonavent. in 4. Sentent. dist. 43. art. 1. qu. 3. Concl. asserit , quod *Resurrectio corporum erit simul , non successiva ,*

quod pluribus rationibus potest confirmari. In Breviloquio *Oper. tom. 5. edit. Venet.* 1754. *part. 7. cap. 5. De resurrectione autem corporum hoc tenendum est, quod omnium corpora hominum in generali resurrectione resurgent, nulla in eis existente distantia quantum ad ordinationem temporis, sed magis quantum ad ordinationem dignitatis*. Et in Centiloquio *ibidem part. 4. sect. 2. Unde videndum est de resurrectione, de qua secundum fidem Catholicam est tenendum, quod omnia corpora hominum resurgent in generali judicio, non existente in eis distantia quantum ad ordinem temporis, sed potius quantum ad ordinem dignitatis*. Ergo juxta S. Bonaventurae doctrinam non est secundum fidem catholicam separare justorum resurrectionem a resurrectione reproborum per mille annorum spatium. Cardinalis Bellarminus *in lib. 3. de Roman. Pontifice cap.* 17. refert ex Lactantio sententiam quae docet, post Antichristi occisionem appariturum Christum, futuram resurrectionem, et regnaturos Sanctos cum Christo hic in terris mille annis, in summa pace et tranquillitate, infidelibus quidem interim non exterminatis, sed pacifice servientibus. Quibus finitis, iterum solvendum diabolum, et excitandum bellum atrocissimum

omnium gentium, quae per mille annos servierunt sanctis, et hoc esse praelium Gog, et Magog, de quo loquuntur Ezech. et Joan. Sed paulo post divinitus occidendos omnes impios, et tunc futuram secundam resurrectionem, et mundum penitus innovandum. Subjungit. *Haec opinio fuit etiam multorum veterum, ut Papiae, Justini, Irenaei, Tertulliani, Apollinaris, et quorumdam aliorum. Sed jam dudum explosa est tanquam error exploratus.*

Franciscus Suarez Oper. tom. 17. edit. Venet. 1746. disp. 50. sect. 8. *Dicendum est tamen, resurrectionem justorum non esse futuram ante diem judicii, et illa die omnes homines resurrecturos; quare non intercedet magna mora inter resurrectionem justorum, et iniquorum. Haec assertio est certa, et quatenus repugnat citato (Chiliastarum) errori existimo esse de fide*. Legatur per totum.

Igitur concludendum puto cum Vincentio Lirinensi Commonit. cap. 2. *In ipsa item Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est*. Addam ego: Et si hoc inveniri de aliqua sententia non possit, teneamus saltem, quod fere ubique, quod fere semper, quod fere ab omnibus creditum est. Sequitur Lirinensis. *Sed hoc*

ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia; antiquitatem vero ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus, quos Sanctos majores, ac Patres nostros celebrasse manifestum est; consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium, vel certe pene omnium, Sacerdotum pariter, et Magistrorum definitiones sententiasque sectemur. Quid autem si Sanctus, si Doctus, si Episcopus, Confessor, et Martyr inveniatur, qui praeter aliorum doctrinam senserit? Respondet inferius ipse Lirinensis. *Quidquid vero quamvis ille Sanctus, et Doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor, et Martyr, praeter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias, et occultas, et privatas opiniunculas a communis, et publicae generalis sententiae auctoritate secretum sit, nec cum summo aeternae salutis periculo, juxta sacrilegam haereticorum, et schismaticorum consuetudinem, universalis dogmatis antiqua veritate dimissa, unius hominis novitium sectemur errorem.* Igitur qualis fuit ab initio in re proposita communis, et publica generalis sententiae auctoritas? Jam in-

vestigavimus, et vidimus universale dogma fuisse, quod inter secundum gloriosum Christi adventum, et generalem resurrectionem, et judicium nulla notabilis mora temporis intercedet, sed ad adventum Domini omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem. Haec est Fides Catholica. Hanc ipsam ut communem sententiam, et doctrinam in suis scriptis testatam reliquerunt Justinus, Irenaeus, et Tertullianus, ut supra notavimus. Quod si isti praeter communem doctrinam aliquid senserunt, id inter proprias, et occultas, et privatas opiniunculas, a communis, et publicae generalis sententiae auctoritate secretum sit. Patribus enim hac lege, ut inquit idem Lirinensis, *credendum est, ut quidquid vel omnes, vel plures, uno eodemque sensu manifeste, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur*. Quae regula nisi servetur, jam pronum esset, aliquas privatas, et incertas nonnullorum Patrum opiniunculas praeferri communi, publicae, et constanti aliorum doctrinae, quae fuit semper in Ecclesia regula ad discernendas veras traditiones a fallacibus, et incertis.

Praeterquamquod observandum est, quo fundamento, aut qua suppositione innixi Patres aliqui privatas suas opiniunculas defenderint. Si enim deprehendatur, quod falso aliquo supposito decepti, aut ex ignorantia veritatis ab Ecclesia nondum ad credendum propositae, singularem aliquam opinionem amplexi fuerint, ipsi certe omnino ab errore absolvendi sunt, quia nondum veritas manifesta erat, sed non qui eos subsequuti sunt, postquam Ecclesia contrarium declaravit. Jam vero si diligenter exploretur apud antiquitatem temperata illa Millenariorum sententia, facile erit agnoscere, quod connexa erat quasi consequenter alicui errori nondum ab Ecclesia expresse reprobato. Etenim inficiari nequit, fuisse aliquos Patres, qui incerti erant de tempore, in quo justorum Animae, quae nulla conspersae sint macula, aut omnem maculam in purgatorio igne exuerint, clara Dei visione potiantur. Immo nonnulli ex ipsis videtur, quod putaverint, hujusmodi visionem etiam pro Sanctis usque ad diem judicii diferri. In his refertur a Petavio Irenaeus, qui haeres. l. 5. c. 31. ait: *Animae abibunt in invisibilem locum definitum eis a Deo, et ibi usque ad resurrectionem commorabuntur sustinen-*

tes resurrectionem, post recipientes corpora, et perfecte resurgentes, hoc est corporaliter, quemadmodum et Dominus resurrexit, sic venient ad conspectum Dei. Deinde post resurrectionem justorum illud Millenarium regnum cum Christo adstruere videtur, ut Sancti per visionem Christi paulatim ad videndum Dei Patris gloriam assuescant. l.5. c.35. *Ex visione Domini, et per ipsum assuentes capere gloriam Dei Patris, et cum Sanctis Angelis conversationem.* Idem Irenaeus l. 5. c. 5. insinuat, quod justi interea deferantur in Paradisum, in quo ab initio Adam positus fuit, et ibi maneant *usque ad consummationem coauspicantes incorruptelam.* A quibus autem Irenaeus hanc opinionem didicerat? A praesbyteris illis, a quibus de Millenario regno edoctus fuerat. *Quapropter dicunt praesbyteri, qui sunt Apostolorum discipuli, illos, qui translati sunt, illuc translatos esse.* Ecce initium et series totius falsae illius traditionis. Papias et praesbyteri simplices, qui dicebantur Apostolorum discipuli, et qui ab eis audita materialiter interpretabantur. Itaque statuebant Animas Sanctorum in invisibili, sed terrestri Paradiso expectare visionem Dei usque ad justorum resurrectionem, deinde suis corporibus restitutas regnare in terris

cum Christo per mille annorum spatium, et illic ex visione Christi assuescere, et praeparari ad visionem Dei Patris, quae locum haberet post extremum orbis judicium, et terrae conflagrationem. Supposita illa dilatione gloriae et visionis et fruitionis Dei pro justis Animabus, non adeo absurdum videbatur illud Sanctorum regnum, quia quum nondum fruerentur Deo, usquedum ipsius clara visione potirentur, interea terrae deliciis, et corporeis honestis voluptatibus participes fiebant in compensationem laborum, et persecutionum, quas hic, dum viverent, sustinuerant; denique post universale judicium perfecta et aeterna gloria potiebantur. Idem sensisse Lactantius videtur. Inst. l. 7. c. 20. 23., et 26. ubi concludit. *Cum vero completi fuerint mille anni, renovabitur mundus a Deo, et coelum complicabitur, et terra mutabitur, et transformabit Deus homines in similitudinem Angelorum, et erunt candidi sicut lux, et versabuntur semper in conspectu Omnipotentis: Et Domino suo sacrificabunt, et servient in aeternum*. Alii etiam Patres fuerunt, qui de hac materia obscure locuti sunt, ut videri potest inter caeteros apud Dionys. Petavium *de Deo l.* 7. *c.* 14., et apud Laurentium Berti de *Theolog. discipl. tom.* 1. *l.* 3. *c.* 9. 10., *et* 11.

Nunc vero, salva fide, amplius dubitari nequit, quod animabus justis, quae nulla conspersae macula excedunt, aut omnem maculam in purgatorio igne exuerunt, Dei visio, et gloria non differtur, sed statim ad eam admittuntur. Sic deffinitum fuit in Florentini Concilii Sess. ultim. in Decret. unionis, et Trident. Sess. 25., et Benedict. XII. Extravagant. *Benedictus Deus*. Quibus positis facile est animadvertere: primo, quod millenarii sistematis everso fundamento necesse est totum corruere sistema. Quum enim aliqui opinabantur, diferri usque ad extremum judicii diem Dei visionem et fruitionem in Sanctis, non adeo incongruum, et absurdum videbatur, ut interea terrenis deliciis per mille annos potirentur in corpore reassumpto, sed non adaequate glorificato. Sed nunc et incongruum, et absurdum esset, terrenas quasvis vel moderatas delicias, et voluptates, et cibum, et potum Sanctis, qui Dei visione fruuntur, in reassumpto corpore tribuere, et inconcepibilis esset eorum vivendi modus hic in terris cum caeteris mortalibus, qui eadem visione non fruuntur. Secundo, quum aliqui Patres aut dubie, aut asseveranter pro dilatione gloriae in Animabus Sanctorum opinaverint, et ta-

men contra paucorum opiniunculam praevaluerit in Ecclesia auctoritas Scripturarum, communis traditio, et caeterorum Patrum doctrina, ita ut contrarium tandem Ecclesia definierit; nihil obstat praesenti communi Ecclesiae doctrinae de morali conjunctione adventus Christi cum universali justorum, et reproborum resurrectione, paucorum Patrum dubia, et obscura, aut privata contraria opinio, quum caeteroquin pro communi doctrina pugnet saeculorum universitas, et moraliter unanimis Patrum, Doctorum, immo et Conciliorum auctoritas. Quare non obstante veteri aliquorum opinione, communis de hoc argumento doctrina proxima fidei dicenda videtur, et opposita omnino a catholicis repudianda. Denique quum evidentissime constet ex Scripturis, ex Traditione, et Patribus, et universali Ecclesiae doctrina 1. *Cor.* 15. *S. Thom. in* 4. *Sentent. dist.* 44. *qu.* 2. *art.* 1. *et sequ.* immutationem gloriosam, incorruptibilem, et immortalem in corporibus Sanctorum fieri adaequate debere in eorum resurrectione, non postea, manifestum est, quantum absurditatis accresceret opinioni, quae doceat Sanctos fruentes visione Dei, et indutos corporibus adaequate gloriosis, conversaturos in terris cum

caeteris hominibus mortalibus, et tot miseriis in corpore obnoxiis. Quis agilia, subtilia, splendida, et impassibilia Beatorum corpora neque in suo conceptu cum passibilibus caeterorum corporibus associare poterit? De Christo autem idipsum etiam asserere, catholicas aures et mentes omnino refugit.

Quare tot absurda, et ridicula, et Ecclesiasticae auctoritati contraria, etiam ex temperata Millenariorum sententia deducuntur, ut a Catholico viro omnino respuenda sit. In hac autem disputatione, quam institui, quisquis facile intueri, et dignoscere poterit, me de quacumque alia sententia, quae Millenariorum non sit, sermonem non habuisse; scilicet nec de transitoria visibili Apparitione Christi ante eum, qui vocatur secundus Christi gloriosus Adventus, neque de particulari aliquorum justorum resurrectione ante postremum judicium, neque de renovatione coeli, et terrae post ipsum finale judicium. Sunt istae, et circa ista, diversae sententiae, quas attingere nec mei propositi erat, neque necessarium existimavi ad examen revocare. Itaque solummodo repetam, quod ab initio mihi pro-

bandum proposueram: *Cum Christus e coelo visibiliter, et in gloria secundo adveniet, tunc et non postea fiet universalis defunctorum resurrectio et universae carnis judicium, et simul a Christo pronuntiabitur perpetua irrevocabilis sententia seu vitae, seu mortis aeternae; Ideoque inter secundum gloriosum Christi judicis adventum, et universalem corporum resurrectionem, mille annorum spatium, aut alia notabilis mora temporis non intercedet, qua visibiliter Christus regnet in terra cum Animabus Sanctis jam corpori restitutis.*



DISSERTATIO QUARTA

An Summus Pontifex habeat auctoritatem destituendi Episcopum invitum, et reluctantem a propria Sede ob Ecclesiae necessitatem, aut magnam utilitatem.

Eruditissimus Cardin. de Petra tom. 1. *Comment. in Constit.* 2. *Leonis IX.* proponit sibi examinandam hanc quaestionem. *An revocata sententia depositionis, possit Episcopus redire ad suam Ecclesiam.* Huic quaestioni occasionem dedit casus, qui evenerat in Gallia in personam Episcopi Lugdunensis. Disputatio praedicta a nemine adhuc tractata fuerat lato calamo. Sed tamen subjungit Cl. Auctor *num.* 3. aliqua dicere propono ex monito Pauli de Cast. in leg. *Clodius*, ubi ait: *Sed perniciosus est talis timor, ubi adest tam bona ratio, et miserrimus est intellectus nolle consulere, nisi ubi reperitur determinatum a Doctoribus. Qualiter enim scientia nostra fuisset augmentata, si ita fecissent antiqui?* Eadem ratione controversiam ad examen avocare aggredior, quae apud Doctores vix ta-

cta, nullibi vero, ut opinor, expresse pertractata invenitur. Est vero ista: *An Summus Pontifex polleat auctoritate destituendi Episcopum invitum et reluctantem a propria Sede ob magnam Ecclesiae necessitatem, aut utilitatem.*

Primo autem statuendum est, posse Episcopum sua Sede destitui propter Ecclesiae necessitatem, aut magnam utilitatem. Et hoc quidem facillime probatur, quia potest adesse talis necessitas Ecclesiae, aut utilitas, propter quam Episcopus teneatur sponte suae Sedi renuntiare, ut v. g. quando illi manifeste constet, se propter aliquas ingruentes circumstantias noxium fieri populo, aut illius spirituali bono impedimento esse, nec ullam adesse viam succurrendi spirituali necessitati illius plebis, nisi ipse se abdicet ab illius regimine. Tunc enim graviter urget praeceptum spiritualis charitatis in proximum, quae postulat, ut illi sua commoda postponat. Enim vero, ait Thomassinus *de Beneficiis part. 2. lib. 2. cap. 64. num. 3., eccui dubium est, quin teneantur omnes vim sibi adferre, et imperare sibi, ut velint, quod nolebant*? Loquitur de Episcopis in casu proposito.

Deinde vero pro consequenti infertur, quod si nolit Episcopus in casu hujus-

modi necessitatis sponte Episcopatui cedere, per Superiorem adigi potest, ut Episcopatui cedat. Neque enim satis provvide Ecclesiae regimen a Christo institutum fuisset, neque satis esset Ecclesiae bono, et Fidelium saluti consultum, nisi Suprema Auctoritas adesset, quae in hujusmodi casibus posset bona provvidere, et pericula amovere. Quare prosequitur Thomassinus: *Si quis vero Episcopus in ejusmodi temporum, rerumque molestiis otium suum, privatamque quietem anteponeret publicae Ecclesiae necessitati et saluti, quis abnuat profiteri, et esse debere potestatem superiorem, qua compellatur officio fungi, nec sibi, sed Ecclesiae fateri se natum, se ordinatum Episcopum universae?*

Tertio, hanc supremam potestatem in Romano Pontifice residere nemo catholicus inficiari poterit. Sequitur enim ex jure Primatus jurisdictionis Supremae in Ecclesiam universalem, quem Primatum si quis attentare innitatur, jam cum eo contendendum non est de catholica doctrina, et disciplina, quia se catholicum non esse, satis ipsa sua aggressione profitetur. Neque ex hoc sequitur, ut aliqui ex industria autumant, quod oecumenici Concilii suprema auctoritas tolla-

tur, aut infirmetur. Sed idem ille Summus Pontifex, qui est Concilii Caput, per quem Concilium legitime congregatum constituitur, et sine cujus suffragio, accessione, et auctoritate Concilii decisiones, aut leges vim non habent obligandi universos Fideles, idem ipse est visibile Caput, qui extra Concilium Ecclesiae praesidet, et suprema potestate a Domino Jesu Christo accepta illius necessitatibus in diem emergentibus assidua sollicitudine succurrit. Immo tam longe abest, quod potestas destituendi Episcopum propter Ecclesiae necessitatem competere unice oecumenico Concilio probetur, ut casus ipse propositus evincat, hanc potestatem etiam residere debere in Romano Pontifice extra Concilium. Etenim casus propositus est circa Episcopum, qui propter Ecclesiae necessitatem renunciare Episcopatui teneatur, et renuat suo officio, et debito fungi. Jam vero nisi supponatur in Romano Pontifice auctoritas destituendi Episcopum in hujusmodi urgentibus necessitatibus, frustra quaereretur in oecumenico Concilio remedium opportunum ejusmodi malis, quae saepe prompta medela indigent, neque ad incertum tempus, et probabilissime numquam obventurum, differri possunt.

Quod si Romano Pontifici haec auctoritas competere debet, jam non est ulterius quaerendum, an ad illam in talibus casibus exercendam indigeat Provincialis Concilii accessione, consilio, judicio, et consensu. Optimum quidem hoc erit medium ad dignoscendam cum majori securitate Ecclesiae necessitatem, et ad justificandam coram ipsa Ecclesia Pontificiam deliberationem. Sed numquam probari poterit, quod ad actus valorem Provincialis Concilii auctoritas necessaria sit, nec possit Summus Pontifex id sine Provinciali Concilio deliberare, quod potest sine Concilio Universali. Probandum enim esset, quod Pontifex in suis judiciis procedere nequeat absque consensu Provincialium Episcoporum. Hoc autem est contra naturam, et essentiam supremi Primatus in Ecclesia, et dici deberet institutum contra ipsius Ecclesiae bonum. Fieri enim potest, ut Provincialis Concilii sententia exquiri, expectari, et audiri nequeat absque scandalo et detrimento. Necesse est igitur, ut in hujusmodi eventibus competat Romano Pontifici suprema, absoluta, et independes auctoritas; et ipse pro sua prudentia Provincialium Episcoporum inquirat, aut non inquirat consilium. Neque etiam contra hanc assertio-

nem per Canones progredi posset, quia Canones ipsi ex Romani Pontificis consensu conditi sunt, et in ipsis interdum dispensare non solum est ejus auctoritatis, sed etiam debiti, propter Ecclesiae necessitatem. Etenim quae sunt illae humanae leges, a quibus aliquando dispensari propter commune bonum non contingat, et quarum dispensationi non sit in humana republica potestas aliqua deputata? Quod si in Ecclesia hujusmodi potestas necessaria est, quae alia assignari poterit praeter illam, quae residet in Romano Pontifice, a quo ipsi Canones suam vim accipiunt? Negare autem Summo Pontifici potestatem condendi, moderandi, dispensandi, et mutandi Canones, ubi occurrat Ecclesiae necessitas, pertinet ad temeritatem haereticorum, aut ad imbecillitatem imperitorum. Etenim, ut loquitur Petrus Alliacus *de auctorit. Eccles. part.* 1. *conclus.* 2. *Plenitudo jurisdictionis proprie loquendo solum residet in Romano, seu Summo Pontifice Petro succedente*. Quis autem dixerit, non posse novos Canones condere, aut in iis dispensare Papam, qui solus potitur jurisdictionis plenitudine? Cur vocabitur *plenitudo*, si plene omnia non possit, quae ecclesiasticam disciplinam respiciunt? Hanc plenitudinem potestatis fate-

tur in Summo Pontifice etiam Auctor *Defens. l.* 11. *c.* 2. ut datam a Christo, et inauferibilem ab Ecclesia; sed subdit, *hujus potestatis exercitium, et usum canonibus moderandum*. Non abnuo, si pro *moderandum* intelligat dirigendum, regulandum, aut ordinandum; nego, si intelligat cogendum, aut coarctandum. Canones fuerunt semper pro regula directiva Summis Pontificibus; non possunt autem haberi pro regula humana obligativa, nisi excludatur a Papa potestatis et jurisdictionis plenitudo. Concedere Papae jurisdictionis et potestatis plenitudinem a Christo ipsi in B. Petro collatam, et simul asserere in eo subjectivam dependentiam a Legibus Ecclesiasticis, aut ab Episcopis, qui sunt ei subditi, et subordinati, est propemodum contradicere sibi ipsi, aut inconsequenter ratiocinari. Si plenitudo potestatis, ergo suprema potestas; si plenitudo data a Christo, ergo non auferibilis, nec moderanda ab hominibus. Non autem apud catholicos, et sapientes viros haec potestas ita illimitata intelligitur, ut licite possit Papa pro libitu, sine gravi causa, arbitrarie et dispotice tale munus exercere; multo minus ut possit canones mutare in iis, quae naturale aut divinum jus respiciunt. Absit hoc a ca-

tholico, et sapienti viro. Sed addam cum Charlas, *de Libertat. Eccles. Gallic. lib.* 9. *num.* 19., *contra jus Divinum, et contra Ecclesiasticam traditionem esse putamus, negare Summum Pontificem Canones seu Leges Ecclesiasticas instituere posse, etiamsi per se, aut per Legatos suos Concilio non praesideat, et omnium Patrum suffragia, et consensum subducat. Credimus etiam Summi Pontificis esse, non Richerii, aut ejus sectatorum discernere, an dispensare conveniat*. Quidquid ex ratione vel auctoritate opponant, nihil aliud probabit, nisi a Summo Pontifice summam reverentiam deberi legibus a suis Antecessoribus, et ab Ecclesia universa constitutis, et ab omnium Fidelium diuturnissima observantia consecratis; probabit, non posse Papam absque gravi causa canones licite mutare, aut in iis dispensare; probabit, nihil unquam posse contra justitiam in subditos, aut in perniciem Ecclesiae. Hoc unice erui poterit ex cumulo auctoritatum, quo obruere hoc Summi Pontificis jus attentabunt. Caeterum ipse Auctor *Defensionis ec. l.* 11. *c.*16. ita asserit: *Dispensationes nemo Catholicus, nemo veri regiminis sciens, aut rerum Ecclesiasticarum gnarus abstulerit: Has toto animo amplectitur ea, quam Pontificiae Potestati ma-*

*xime adversari putant , Basileaensis Synodus . Sic enim loquitur epist. Synod. num.*5. *Per Concilium autem statuta in nullo derogant suae* (Pontificis) *potestati , quin pro tempore , loco , causisque , et personis , utilitate , vel necessitate suadente moderari , dispensareque possit , atque uti Summi Principis epieixeia , quae ab eo auferri nequit* . Vide etiam Charlas *de Libert. Eccles. Gallican. lib.* 9. *cap.* 3. Audiatur idem Auctor *Defens. l.* 11. *c.* 20. *Concedimus enim in jure quidem ecclesiastico , Papam nihil non posse , cum necessitas id postularit* . Quid est hoc aliud nisi concedere , Papam omnia posse etiam praeter et supra Canones , cum necessitas hoc postulat ? Judicare autem de necessitate debet pertinere ad eandem supremam potestatem , quae omnia potest . Cui enim independenter competit auctoritas , spectare debet etiam cognitio de causis ejus exercitii . Sunt haec principia , et requisita cujuscumque humanae gubernationis , et potestatis .

Neque pariter difficultas creari potest in auctoritatem destituendi Episcopos , quam Romano Pontifici asserimus , ex ratione subjecti , sive personae , in quam hujusmodi auctoritas exercetur . Non sunt enim Episcopi tamquam cappellani amovibiles , qui ad nu-

tum Patroni, aut Episcopi ab officio suo destitui possint; sed eorum jurisdictio est ordinaria, non delegata; est immediate ab ipso Deo, non a Romano Pontifice. Ergo non potest Romanus Pontifex ad nutum eam Episcopis auferre. Vide autem, ne rursus in eandem calumniosam suppositionem relabaris. Nemo enim dicet, posse Romanum Pontificem jurisdictionem super aliqua dioecesi Episcopo auferre ad nutum, scilicet ad libitum, arbitrarie, et sine gravi causa. In hoc sensu nemo est, qui tantum contendat de Romano Pontifice. Sed assertam potestatem tuemur ad nutum quidem Pontificis, sed ad nutum, qui procedat ex gravi causa urgentis utilitatis, aut necessitatis Ecclesiae. Neque in hujusmodi circumstantiis obstat, quod jurisdictio Episcoporum sit ordinaria, non delegata. Quid enim est jurisdictio ordinaria? Est illa, quae cuipiam jure proprio, seu ratione Officii, aut Dignitatis ex lege, canone, vel consuetudine competit. Hoc autem probat, quod quatenus durat jus, officium, aut dignitas, durat etiam jurisdictio ordinaria, si illi competat, ut certe competit Episcopali officio, et dignitati. Sed non probat, quod ipsum jus, officium, aut dignitas non sit auferibilis in aliquo casu, et

aliquo eventu a superiori potestate. Aliter neque Ecclesia posset vel Parochum, vel Episcopum destituere. Sed potius dicendum, quod sicut Parochi institutio, et destitutio pertinet ad Episcopum, sic Episcopi institutio, et destitutio pertinet ad Romanum Pontificem; et sicuti ordinaria jurisdictio, qua Parochus fungitur in sua Paroecchia, non obstat, quin Episcopus possit illum destituere; sic non obstat in Episcopo, respectu ad suam dioecesim, quin possit a Summo Pontifice destitui. Et quidem est effatum in jure canonico receptum, quod ad quem spectat Institutio, ad eundem et Destitutio c. *in Lateranensi* de Praebend., c. *Conquerente oeconomo* de officio judic. ordinar. Fagnani c. *Quanto* de Translat. Episc, num. 45. Quum itaque ad Summum Pontificem spectet Episcoporum institutio, sive intitulatio, ad eundem et spectat eorum destitutio. Sunt absque dubio Episcopi jurisdictione ordinaria praediti in suam Dioecesim, et quidem per se perpetua; sed non ideo excluditur casus, in quo a legitimo Superiore ex gravibus rationibus destitui possint. Sic et Parochi jurisdictione ordinaria et per se perpetua potiuntur in sua Parochia; neque ideo tamen jurisdictio illa est inauferibilis ab Episcopo,

cujus sunt subditi. Immo addam. Sicuti territorium Paraechiae cujuscunque est pars totius Dioecesis, et in illud territorium jurisdictionem ordinariam obtinet et Parochus, et Episcopus, sic territorium cujuscumque Episcopatus est pars totius Ecclesiae, et in illud territorium jurisdictionem obtinet et Episcopus, et Romanus Pontifex. Et sicuti qui Parocho subditi sunt, subduntur etiam Episcopo, ita subditi Episcopo sunt etiam subditi Romano Pontifici. Et sicut Episcopus praebet et subtrahit Parochis locum, et materiam jurisdictionis Parochialis, scilicet territorium, et subditos, ita et Romanus Pontifex praebet et subtrahit Episcopis materiam et locum Episcopalis jurisdictionis. Denique sicut Parochi, non obstante jurisdictione ordinaria in Paraechiam Episcopi subditi sunt, sic et Episcopi, non obstante ordinaria jurisdictione in Dioecesim, subduntur Romano Pontifici. Haec autem intelligenda sunt absque praejudicio universalis Primatus in Ecclesiam, qui Romano Pontifici ex divina institutione competit, et ex quo non solum Episcopi, sed et Parochi, et universi Fideles illius ordinariae jurisdictioni subijciuntur. Non facit ergo jurisdictio ordinaria quamvis perpetua, ut sit omnino inauferibilis, aut in-

dependens a superiore legitimo, sed importat solum, ut annexa sit officio, et dignitati jure proprio, quoad officium durat et dignitas, atque ut auferri nequeat, nisi ex gravi causa, et per legitimum Superiorem.

Verumtamen fatemur, quod non est omnino, sive ex omni parte comparanda jurisdictio Parochorum cum jurisdictione Episcoporum; maxime quia institutio Episcopatus cum ordinaria et perpetua jurisdictione est immediate a Jesu Christo, institutio autem Parochorum, quatenus sunt non solum coadjutores ad nutum Episcopi, sed etiam praediti jurisdictione ordinaria et perpetua, debet dici ex institutione ipsius Ecclesiae; ita ut ordinaria et perpetua jurisdictio sit in eis ex canone, non ex divina institutione. Petav. *de Eccles. hierarch. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 3. Natal. Alex. *saecul.* 3. *cap.* 2. *num.* 8. *cum schol. et notis*. Sed hoc tantummodo evincere voluimus, non esse talem ordinariae jurisdictionis essentiam, ut sit inauferibilis a Superiore pro quocumque eventu; ideoque non obstare naturam ordinariae jurisdictionis Episcoporum, quamvis a Christo institutae, quominus a Summo Pontifice possit auferri, quum Ecclesiae necessitati expedierit. Distinguendum autem semper est in

hac quaestione, ut mox videbimus, cum Gersone, jurisdictio Episcopalis ab illius acquisitione alicui personae particulari. Et quidem jurisdictio Episcoporum ordinaria pertinet ad institutionem Christi, ita ut nemo possit esse Episcopus alicujus dioecesis absque ordinaria jurisdictione. Sed Papa potest libere facere, ut talis sit Episcopus hujus Dioecesis, et potest cum gravi causa facere, ut amplius non sit illius dioecesis Episcopus, ideoque ut amittat illam jurisdictionem, quae ex jure divino est annexa Episcopatui alicujus particularis dioecesis. Nemo autem inter catholicos inficiari poterit, quod Episcopi sint revera subditi Romano Pontifici. *Supremum Sacerdotalis Ordinis gradum tenet Romanus Pontifex, amplissimamque jurisdictionem in Christianos omnes, et Episcopos universos, non quidem ullis Synodicis, aut aliis humanis Constitutionibus, sed Divinitus datam*; ait Natalis Alexand. *Theolog. Dogmat. et Moral. tom.* 2. *de Sacram. Ordin. cap.* 2. *de hierarch. Eccles. art.* 2. Et deinde loquens de obedientia debita Romano Pontifici juxta formulam professionis fidei a Pio IV. praescriptam, et ab Ecclesia Catholica receptam, admonet Superiores, ut illam diligenter inculcent Doctoris Angelici certissimam, et ad fidem per-

tinentem sententiam : *Subesse Romano Pontifici est de necessitate salutis*. Sed quis magis ad propositum nostrum, quam Gersonius Cancellarius Parisiensis *de Statib. Eccles. consid*.3. qui ait : *Status Praelationis Episcopalis habuit in Apostolis, et in successoribus usum, vel exercitium suae potestatis sub Papa Petro, et successoribus ejus tanquam sub habente, vel habentibus plenitudinem fontalem Episcopalis auctoritatis. Unde quoad talia, minores Praelati, scilicet Curati, subsunt Episcopis, a quibus usus suae potestatis quandoque limitatur, vel arcetur; et sic a Papa posse fieri circa Praelatos majores, ex certis et rationabilibus causis, non est ambigendum*. Et deinde *Consider*.4. *Status Episcopalis non ita subest statui Papali, quod illum possit Papa annullare, sicut nec status Papalis posset humanitus destitui. Nihilominus idem status Episcopalis quoad acquisitionem isti personae, et quoad sui exercitium subest rationabili Papae voluntati ad utilitatem Ecclesiae*.

Hinc vero via sternitur ad resolvendam alteram difficultatem in eo positam, quod Episcopi suam jurisdictionem immediate a Deo accipiant; unde concluditur posse quidem a Romano Pontifice eos non intitulari in Episcopali Sede; sed statim ac intitulati fuerint,

tunc in ipsos veluti in personam ab homine designatam Deus ipse immediate jurisdictionem confert, ideoque non potest Romanus Pontifex id, quod Dominus contulit, auferre. Ad simile sicuti ipse Romanus Pontifex a Cardinalium Collegio, non a Deo immediate eligitur, et deinde posita electione talis personae, in eam immediate Deus ipse confert jurisdictionem plenariam in Ecclesiam universalem, quam deinde nullus hominum potest ab ipso tollere. Plura huic difficultati reponenda sunt. Primo enim Romanus Pontifex per sententiam totius orthodoxae Ecclesiae suam jurisdictionem immediate a Deo accipit; de jurisdictione autem episcopali immediate a Deo collata sunt inter catholicos ipsos sapientissimos Doctores contradictoriae opiniones. Non potest igitur paritas institui inter duos terminos, quorum unus certus est, alter vero summa incertitudine laborat. Etenim a plurimis negabitur suppositum, quod ab adversariis invincibiliter probari omnino non poterit. Secundo, supposita etiam jurisdictione immediate a Deo collata Episcopis, illa est essentialiter diversa a Papali jurisdictione, quia haec nulli hominum subordinatur, Episcopalis vero juxta catholicam fidem subordinatur Romano Pontifici. Hinc

Papalis a nullo homine auferri potest, quia non habet superiorem legitimum, a quo auferatur; potest autem auferri Episcopalis, quae subditur Superiori scilicet Papae. Tertio in electione Summi Pontificis non intervenit ex parte eligentium neque confirmatio, neque attributio territorii et subditorum, sed designata persona ab electoribus, ei immediate a Deo confertur potestas, et jurisdictio in universalem Ecclesiam; contra vero electio Episcopi non sufficit, ut acquirat jurisdictionem in Dioecesim, ad quam eligitur, sed insuper requiritur Summi Pontificis confirmatio, a qua accipit Electus jurisdictionem. Layman *quaest. canonic. de Praelat. Ecclesiast. cap.* 12. *num.* 129. *et cap.*15. *n.*161. *et* 162. Suarez *de Fide disp.* 10. *sect.*4. *nu.*2. *et* 3. et ibi Turrecrem. Cajetan. Turrianus. Card. de Petra *tom.* 1. *Commentar. ad Constit. Apostol.* §. 3. *proemial. num.* 46. *et ad Constit. Gelasii I. num.* 9. *et tom.* 4. *ad Constit.* 5. *Clem. VI. num.* 15. Charlas *de Libert. Eccles. lib.* 8. *cap.* 9. *num.*4. Ubi notanda sunt verba supradictae Confirmationis Episcoporum nomine Papae peractae, quae sic se habent: *Papa Ecclesiae N. de Persona R. N. Apostolica auctoritate providit, ipsumque illi in Episcopum praeficit, et Pastoralem curam, regi-*

men, et administrationem ipsius Ecclesiae sibi in spiritualibus, et temporalibus plenarie committendo, absolvens eundem ec. A Summo Pontifice itaque praeficitur Episcopus alicui Dioecesi; ab ipso curam, et regimen, et administrationem illius sumit; ideoque ab ipso ex justa causa spoliari potest regimine, et administratione, quia *omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur*. Contra vero Summus Pontifex non accipit ab Ecclesia potestatem, regimen, et administrationem, quia ut ait Suarez *loc. cit.*, si Ecclesia praeberet hanc potestatem, posset illam limitare, vel augere, vel modum illi praescribere, ut solet Pontifex, cum Episcopos creat. Immo, addit, Christus non dedit hanc potestatem toti Ecclesiae; ergo nec ipsa potest illam dare; quia nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur. Denique quidquid sit de opinione circa collationem jurisdictionis Episcopalis, concludendum est cum Bened. XIV. *de Synod. Dioeces. lib.* 7. *cap.*8. *num.*7., quod *Episcoporum jurisdictio, sive sit immediate a Christo, sive a Summo Pontifice, ita semper huic subest, ut consentientibus omnibus catholicis, ejus auctoritate et imperio limitari, atque ex legitima causa omnino auferri possit.*

Hinc scripsit etiam Thomas ab Argentina Theologiam Parisiis professus circa annum 1445. *dist.* 25 *quaest.* 1. *art.* 2. *Cum igitur jurisdictio spiritualis cujuslibet Sacerdotis dependeat a Summo Pontifice, apud quem solum residet Jurisdictionis Plenitudo, tam in fieri, quam in conservari, ipse enim quotidie potest dare et Auferre hujusmodi jurisdictionem, prout ad statum Ecclesiae gubernandum ipse viderit expedire.*

Quae autem erit legitima causa destitutionis Episcoporum? Ea dicenda est, quae facit, ut Episcopus cedere teneatur, et quam inter caeteros designat Laysman *quaest. Canon. de Praelat. Ecclesiast. num.* 175., ubi quaerit: *Numquid ob malitiam, seu inobedientiam plebis, aut populi scandalum Episcopus cedere debet.* Resp. 1. *Non ob quamlibet culpam, aut inobedientiam plebis Pastor eam deserere debet; sed si ita pertinaciter se opponat, et a Pastore abhorreat, ut ad majus malum vitandum, ne forte in lupos convertantur, idest a vera Religione, vel Ecclesiae unitate omnino deficiant, tali casu ipsis quandoque ad tempus cedendum est, et cum Superioris licentia Pastor amovendus. Idque etiam de Parochis, et aliis Animarum Pastoribus dici debet, interdum amovendos, aut transferen-*

dos esse, si plebs, aut subditi eorum, adeo ipsis, quamvis culpabiliter, contradicant, aut ab eis abhorreant, ut spes nulla reconciliationis existat. Resp. 2. *Si populus grave scandalum ex Episcopi alteriusve Praelati praesentia patiatur, distinguendum est inter scandalum pharisaicum seu ex malitia profectum, et scandalum pusillorum, seu ex ignorantia aut infirmitate ortum: ob hoc scandalum vitandum frequentius cedendum est jure, quod aliquis habet. Sed pharisaicus minus plerumque curandum est, nisi cum pertinaciter malis etiam simpliciores, et innocentes involvantur, et ad ruinam trahantur. Cujus rei exemplum habemus in S. Gregorio Nazianzeno, qui sponte cessit Ecclesia Constantinopolitana, ob scandalum et seditionem sedandam, quae ob ejus benefacta exorta fuerat*. Huc usque Layman.

Attendendum est, quod scribit S. August. de epistola data a catholicis Episcopis ad Cognitorem ante Collationem cum Donatistis. Ea habetur in *lib. de gestis cum Emerito num.* 5. *et sequ.*, ubi Catholici Episcopi spoponderunt, si Catholica Ecclesia apud se esse probaretur, nolle tamen Episcopatus honorem Donatistis auferre. *Poterit quippe*, ajunt, *unusquisque nostrum honoris sibi socio copulato, vicissim sedere eminentius*,

sicut peregrino Episcopo juxta considente collega. Sin hoc fieri non posset, subjungunt: *utrique de medio discedamus*. Et rationem addunt. *Quid enim dubitemus, Redemptori nostro sacrificium istius humilitatis offerre? An vero ille de coelis in humana membra descendit, ut membra ejus essemus; et nos, ne ipsa ejus membra crudeli divisione lanientur, descendere de cathedris formidamus?... Episcopi autem propter Christianos populos ordinamur: quod ergo Christianis populis ad Christianam pacem prodest, hoc de nostro episcopatu faciamus*. Ubi advertendum est, paratos fuisse Episcopos Catholicos ad descendendum de Cathedris, non quia catholicae plebi invisi essent, sed ut Donatistas lucrifacerent, et Catholicae unitati conciliarent. In his igitur casibus, in quibus Episcopus cedere teneatur, poterit Summus Pontifex eum destituere, et adigere ad id, ad quod praestandum obligatur.

Nolim autem, ut aliquis dicat, hoc jus destitutionis esse novum in Romano Pontifice. Quid, si ostenderim hoc jus Papam saepissime exercuisse, et exercere absque catholicae Ecclesiae contradictione? Et tamen hoc demonstrare aggredior, ac sine magna difficultate illustrare confido. Etenim procul

dubio Romano Pontifici jus competit in Episcoporum translationes, et eas antiquissime praestitisse dignoscitur. Nemo catholicus hoc inficiabitur, nisi ad schismaticorum partes se transferre deliberet. Interrogo nunc, quid importet Translatio Episcoporum? Haec quidem Translatio fit, quum aliquis Episcopus propriam Sedem relinquit, et in alia Sede collocatur, quae translatio si fiat propria auctoritate non sustinetur; si autem fiat auctoritate superioris, et justa interveniente causa, valida et licita est, et a sacris canonibus approbata. can. 14. Apost. *Episcopo non licere alienam parochiam, propria relicta, pervadere, licet cogatur a plurimis. Nisi forte quis cum rationabili causa compellatur, tamquam qui possit ibidem constitutis plus lucri conferre, et in causa religionis aliquid profectus prospicere. Et hoc non a semetipso pertentet, sed multorum episcoporum judicio, et maxima supplicatione perficiat*. Evidens autem est, quod in Translatione Episcopi habentur duo termini, scilicet Destitutio ab una Ecclesia, et Institutio in altera. Isti duo termini sunt quidem correlativi, ut habeatur, et possit dici Translatio, quae fieri nequit nisi de uno loco ad alium; sed singuli per se ipsos subsistunt. Et sicuti potest haberi institutio in una Sede absque destitutione ab

altera; et tunc non dicitur Translatio, sed simpliciter Institutio in aliqua Sede; ita haberi potest destitutio ab una Sede sine intitulatione in altera, et tunc similiter non Translatio, sed Destitutio vocabitur.

Verum ad propositum nostrum observandum est, quod in Translatione nulla difficultas cadit in terminum *ad quem*, sive in Intitulationem in nova paroechia, sed in terminum *a quo*, sive in Destitutionem ab altera. Et haec difficultas valde agitata fuit ab iis, qui contendebant, Episcopum cum propria Ecclesia contrahere conjugium spirituale, et indissolubile ad similitudinem matrimonialis, et carnalis conjugii. Hoc autem amplius sustineri nequit, quum omnes Doctores consentiant, contrahi quidem ab Episcopo quoddam conjugium spirituale cum propria Ecclesia; sed hoc solubile esse ad nutum Vicarii Christi, et pro Ecclesiae utilitate. Leuren. *l.* 1. *tit.* 7. *qu.* 416., Gonzalez *in cap.* 1. *de Translat. Decr. l.* 1. *tit.* 7., Fagnani *in cap.* 1. *et* 2., Pirhing. *in tit. de Translat.* §. 1. *num.* 7. Vanespen. *part.* 1. *tit.* 15. *cap.* 5. *num.* 20. qui ait. *Quidquid sit, illud certum est, juxta stabilitam jure communi Decretalium, et hodie per totam Ecclesiam receptam disciplinam, Translationes Episcoporum,*

uti et Cessiones soli Romano Pontifici esse reservatas ; nec posse sine ejus expressa licentia Episcopum a vinculo , quo suae Ecclesiae est obligatus , absolvi . Fit itaque in Translatione Episcoporum ex Superioris auctoritate dissolutio conjugii cum una Ecclesia , et novum conjugium cum altera . Ubi plura animadverto . Primum has esse duas res omnino separabiles , et unam ab altera per se non dependentem . Secundo , in translatione Episcopi nullam posse intervenire difficultatem quoad intitulationem in aliqua paroechia . Tertio , totam igitur difficultatem versari in dissolutione conjugii cum prima Sponsa , sive in destitutione propriae Sedis . Quarto denique , non obstante hac difficultate , Romanum Pontificem suprema potestate pollere ad dissolvendum spirituale conjugium Episcopi cum propria Ecclesia , sive ad illum de propria Ecclesia destituendum , ut ad aliam transferat . Quid igitur difficultatis superest , ut Summus Pontifex , qui potest Episcopum ab una Ecclesia destituere , et instituere in altera , et sic ab una Ecclesia ad alteram transferre , dicatur , posse etiam de una Ecclesia Episcopum absolute destituere , quin illum ad aliam Ecclesiam transferat ? Certe difficultas versari non potest circa potestatem , sive po-

testatis vim et essentiam, sed ad summum circa modum. Quatuor vero incongrua circa modum considerari possunt; quod *invitus*; quod *non auditus*; quod *absque aliorum suffragio*; denique *quod sine alterius Sedis intitulatione* aliquis Episcopus a propria Sede per Summum Pontificem destituatur. Singula igitur percurramus simul cum aliis, quae post ista examinata, et resoluta, obviam fient.

Quaeritur itaque primo; *an possit Summus Pontifex Episcopum invitum a propria Sede destituere*? Hoc vero supra attigi, et nulla potest esse difficultas, postquam ex communi hodie sententia receptum est, posse Summum Pontificem invitum Episcopum ab una Ecclesia ad aliam transferre, uti videri potest apud Fagnan. *c. Quanto de Translat. num.* 100., *et sequ. num.* 38. *et sequ.* Pirhing *de Translat.* §. 2. *num.* 13. Reiffenstuel *lib.* 1. *tit.* 7. §. 2. *num.* 22. *et sequ.* Conditio autem communiter a moderatis Canonistis in hoc casu requisita est, quod hoc fiat ex causa communis necessitatis, aut utilitatis. Immo notandum est, quod in hujusmodi casu distinguunt abdicationem a propria Sede, et intitulationem in altera, qui sunt duo termini requisiti ad veram et perfectam Translationem. Et quo-

ad primum asserunt, hoc esse in potestate Summi Pontificis, concurrente causa communis utilitatis, aut necessitatis, non tamen sine causa, et pro libito dumtaxat. Ratio est, quia etsi spirituale conjugium mera humana potestate dissolvi non possit, solvi tamen poterit auctoritate Summi Pontificis a Deo accepta, quando hoc expedit ad bonum universalis Ecclesiae; et quoniam etiam matrimonium carnale consummatum inter infideles dissolvitur invito altero conjuge, quando unus eorum ad fidem convertitur, et alter renuit secum habitare sine contumelia Creatoris; quod concessum est in bonum commune fidei, et in bonum spirituale Infidelis conversi; a fortiori debet esse in Ecclesia potestas dissolvendi spirituale conjugium, quod non importat vinculum tam arctum, atque indissolubile, ut matrimonium carnale, dummodo inde proveniat commune bonum Ecclesiae universalis, aut etiam privatum viduatae Ecclesiae particularis, quamvis Episcopus suam Sponsam relinquere renuat. Et nisi haec potestas in Summo Pontifice admittatur, non posset ei concedi pariter auctoritas acceptandi cessiones, et renunciationes Episcopatuum, in quibus intervenit eadem spiritualis conjugii dissolutio.

Quoad vero secundum dicunt, quod quamvis Papa ex justa causa possit Episcopum etiam invitum transferre seu separare a sua Ecclesia, ut illa carere debeat, non potest tamen is alligari Ecclesiae alicui, nisi consentiat; quia ad valorem tum carnalis, tum spiritualis conjugii, requiritur consensus contrahentium. Cap. *cum inter* de elect. *ut per mutuum consensum eligentium, et electi quasi conjugale vinculum spiritualiter sit contractum*. Quia tamen translatus tenetur consentire, si publicum bonum Ecclesiae talem translationem exigat, potest a Papa poenis cogi, ut consentiat, et ex nolente fiat volens. Pirhing. loc. cit.

Certum est, ait de Petra, quod Papa possit nedum deponere, sed etiam cogere Episcopum ad resignandum, si justa concurrat causa, ut in cap. *ex litteris* 10. de excess. Praelat., et clare in cap. *quidam* de renunciatione, ubi Gloss. v. *compellendos*; et ratio compellendi est utilitas Ecclesiae, et ipsius Episcopi. *tom.* 1. *Comment. in Const.* 2. *Leon.* 9. *n.* 22. Ubi vides, quod agitur non jam de translatione, sed de destitutione praecepta, et coacta. Et infra *num.*80. *Spirituale conjugium inter Episcopum et Ecclesiam non contrahitur propter bonum privatum ipsius*,

sed propter bonum Ecclesiae, et sic non ut eì praesit, sed ut prosit; quod non est in matrimonio carnali. Unde existente justa causa pro utilitate Ecclesiae, et populorum, erit liberum Papae, Episcopum transferre, et removere.

Sed praestat audire Fagnanum *loc. cit. num.* 100. *et sequ.* Ait igitur. *In translatione duo extrema sunt consideranda, videlicet terminus a quo, idest Ecclesia, a qua Episcopus transfertur, et terminus ad quem, idest Ecclesia, ad quam fit translatio. Quod igitur spectat ad primum extremum, indubitanter concludendum est, ex causa communis necessitatis, vel utilitatis, Episcopum etiam invitum absolvi posse a vinculo prioris Ecclesiae, ita ut si Summi Pontificis voluntas sit, eum omnino utcumque invitum transferre, illico solvatur spirituale conjugium, et vacet Ecclesia, nec ad eam detur regressus. Haec conclusio communi omnium consensu recepta est, ut patet ex auctoribus supra citatis pro tertia opinione num.* 58., *et probatur efficaciter rationibus, et juribus ibidem adductis num.* 59. *usque ad num.* 73. *Quoad vero secundum extremum, solutio videtur pendere ab inspectione, an Episcopus contrahat spirituale conjugium cum secunda Ecclesia, necne; nam si contrahat, alligari non poterit secundae Eccle-*

siae, nisi consentiat, quia ad validitatem matrimonii spiritualis, sicut et carnalis, necessarius est consensus. Huc usque Fagnanus; et postquam resolvit *num.* 117. suam sententiam esse, quod contrahat, concludit *num.* 118.: *Papam posse quidem transferre Episcopum invitum, sed non quoad hoc, ut praecise alligetur secundae Ecclesiae, nisi consentiat*. Hoc autem quid est aliud, nisi Papam posse Episcopum etiam invitum a sua Sede destituere, non posse autem invitum in alia Sede intitulare?

Pariter Leurenius *de jur. canonic. lib.* 1. *tit.* 7. *qu.* 418. quaerens, num Episcopus invitus a Papa transferri possit, respondet. *Potest invitum absolvere a vinculo cum priore Ecclesia, exigente causa justa, ita ut revera ea Ecclesia vacet, etiam ante translationem ejus ad aliam Ecclesiam, non secus ac solvere potest vinculum matrimonii carnalis rati, altero conjugum invito*. Ecce hic apertissime asserit Leurenius potestatem Papae in destitutionem Episcopi. Deinde autem subjungit, quod *videtur probabilius, non posse Papam Episcopum invitum transferre ad aliam Ecclesiam, seu separatum a sua Ecclesia copulare alteri Ecclesiae conjugio spirituali, nisi ipse consentiat*. In quo etiam cum aliis sui

pra citatis concordat. Addit *qu.* 419., quae sint causae, ob quas Episcopus etiam invitus, scilicet nonnisi praecepto vel intentatione poenarum, transferri possit, magna videlicet necessitas, et evidens utilitas Ecclesiae, ad quam vel a qua transfertur; *nimirum dum id suadet et urget bonum pacis, et concordiae*.

Quare, ut ab initio dixi, casus propositus de destitutione Episcopi inviti jam solutus est implicite in casu de translatione Episcopi pariter inviti. Etenim ut jam exposui ex rationabili sententia Canonistarum, potest dari casus, quod ob communem necessitatem aut utilitatem Papa transferat invitum Episcopum, qui si ad Ecclesiam, ad quam a Papa electus fuit, migrare nolit, sua Sede tamen legitime destitutus remanet, quin ad eam jus habeat amplius remeandi. Hoc autem evidenter supponit, quod Papa habeat potestatem destituendi Episcopum etiam invitum ex causa communi utilitatis, aut necessitatis. Immo ex dictis manifeste eruitur, quod Papa possit invitum Episcopum a sua Sede destituere, non vero possit invitum in alia Sede intitulare.

Possunt de hac re etiam consuli Canonistae in commentariis circa regulas Juris in

Sexto, ubi pro regula 23. haec assignatur. *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*. Explicatur autem hoc sensu, quod nemo sit puniendus absque culpa, aut gravandus sine causa justa bonum commune, seu publicum concernente. Vide Reiffenstuel in *juris canonic. tom.* 6.

Sed praestat hoc loco referre Decretalem Innocentii tertii cap. *Inter corporalia* 2. de translat. Episcopi, ex qua plura erui poterunt ad propositum institutae quaestionis. Cum Turonensis Archiepiscopus propria auctoritate praesumpsisset quendam, qui fuerat electus in Episcopum Abricensem, et per Metropolitanum suum fuerat confirmatus, transferre ad Andegavensem Ecclesiam, ac Episcopum consecrare, attendens Innocentius, hoc attentatum esse in derogationem Apostolicae dignitatis, cui soli competit Episcoporum translatio, ipsum electum a Pontificalis officii executione suspendit, auctoritatibus evidenter ostendens, quod idem juris habet Summus Pontifex in confirmatis electis, quam in Episcopis consecratis, quoad eorum translationem. Asserit enim, non solum Episcopum consecratum, sed etiam electum confirmatum suae Ecclesiae matrimonialiter esse alligatum. *Conjugium au-*

tem, inquit, *quod est inter Episcopum et Ecclesiam, Omnipotens Deus suo tantum judicio reservavit dissolvendum: qui dissolutionem carnalis conjugii, quod est inter virum, et faeminam suo tantum judicio reservavit, praecipiens, ut quod Deus conjunxit, homo non separet. Non enim humana, sed divina potius potestate conjugium spirituale dissolvitur, cum per translationem, vel depositionem, aut etiam cessionem auctoritate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium Jesu Christi, Episcopus ab Ecclesia removetur: et ideo tria haec, quae praemisimus, non tam constitutione canonica, quam institutione divina, soli sunt Romano Pontifici reservata*. Hic statim discimus, etiam destitutionem Episcopi institutione divina esse soli Romano Pontifici reservatam, quia etiam per destitutionem conjugium spirituale; quod inter Episcopum et Ecclesiam contractum fuit, dissolvitur. Ergo non pertinet ad Provincialem Synodum destitutio, neque Provincialis Synodi consensu indiget Papa ad destitutionem Episcopi. Opponebatur autem, quod per canonicas sanctiones reservatur Summo Pontifici Translatio Episcoporum, sed non fit ab illis mentio de electis confirmatis, qui nondum consecrati Episcopi sunt. Respondet Innocentius, quod

Episcopalis dignitas nihil addit quoad vinculum spiritualis conjugii; deinde subjungit. *Licet usque ad tempora ista, quod factum fuerat de Episcopis, expressum non fuerat de Electis, propter expressam tamen similitudinem, vel identitatem potius, nemini poterat videri dubium subtiliter intuenti, cum idem judicium de similibus sit habendum*. Hinc igitur infero primo, quod quum Summus Pontifex ex omnium consensu possit Episcopum transferre, et translatio importet destitutionem sicut terminum *a quo*, scilicet dissolutionem spiritualis conjugii, dicendum infero, quod propter expressam similitudinem, vel potius identitatem rationis, poterit Papa Episcopum simpliciter destituere, et ejus conjugium dissolvere, licet usque ad tempora ista hoc in jure expressum non fuerit, *cum idem judicium de similibus sit habendum*. Deinde quum meliores Canonistae consentiant, et Summus Pontifex possideat, quod possit Episcopum quamvis invitum ex causa transferre, nemini potest videri dubium ex similitudine, et indentitate rationis, quod possit Episcopum etiam invitum ex causa destituere. Tertio quod nihil obstat novitas facti quoad destitutionem, sicuti non obstavit Innocentio quoad translationem electi confirmati, quia om-

nia nova sunt, quum fieri incipiunt, neque aliquid factum esset, nisi aliquando fieri caepisset. Si qua autem rationis diversitas alicui appareat inter translationem, et destitutionem, in responsionibus ad sequentes quaesitus solutio dabitur.

Quaeritur deinde; *an possit Summus Pontifex invitum Episcopum destituere, eo non audito*. Respondeo: posse etiam eo non audito, dummodo Summo Pontifici manifeste constet de necessitate Ecclesiae pro destitutione Episcopi, et pariter constet, ipsam Ecclesiae necessitatem exigere, ne differatur destitutio. Antequam vero hic articulus pertractetur, praenotandum est, destitutionem Episcopi essentialiter diferre ab ejus depositione. Etenim destitutio Episcopi non est in poenam, sed fit unice ob Ecclesiae necessitatem, non vero propter aliquam ejus culpam; ideoque non requirit judicium, et sententiam, et consequenter neque ordinem juris judicialis. Contra vero depositio fit in bonum quidem Ecclesiae, sed ob culpam et in poenam Episcopi praevaricantis. Inde fit, ut ad ejus depositionem exigatur sententia a judice, quam praecedere debet judicium, sive legitima rei controversae apud judicem inter actorem, et reum disceptatio, et qui-

dem juxta regulas, et ordinem juris; ordo autem juris exigit, ut pars conventa citetur, et audiatur. Si autem ad sententiam deveniatur non servato juris ordine, sententia injusta est, et omnino irrita. Quarta Synodus Carthaginiensis statuit can. 30. *Caveant Judices Ecclesiae, ne absente reo, cujus causa ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit*. Hoc clamant omnia jura, et leges, et ipsae Summorum Pontificum Constitutiones; et patet ex titul. *de sententia, et re judicata* lib. 2. Decret. ubi cap. 19. ait Innocentius III. *In causis, quae Summi Pontificis judicio deciduntur, et ordo juris, et vigor aequitatis est subtiliter observandus, cum in similibus casibus caeteri teneantur similiter judicare*. Facillimum esset ex Conciliis, ex historia Ecclesiastica, ex Decretalibus, et ex Canonistis auctoritates, et exempla conglomerare ad hanc veritatem comprobandam, de qua nemini licet dubitare, quia et ipsi naturali juri innititur, ne aliquis puniatur inauditus. Sed inutile onus sibi imponeret, qui hujusmodi laborem in se susciperet, quum non agatur in casu proposito de depositione, et de poena, quae provenit ex potestate judiciaria, sed de simplici destitutione, quae procedit ex potestate suprema, praeceptiva, et oeconomica.

Itaque praemittendum est cum Francisco Suarez, quod Potestas praeceptiva in duas species distinguenda est, quas potestatem oeconomicam et politicam, et jurisdictionis appellare possumus. Suarez *de legib. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 4. Pariter Canonistae solent in Papa distinguere duplicem potestatem; aliam, quae est suprema et absoluta, et vocatur etiam plenitudo potestatis, nullis juris canonici regulis limitata; aliam, quae dicitur ordinaria, et est a Canonico jure regulata. Fagnani lib. 3. in cap. *Constitutionibus* de Cleric. aegrotant. num. 72. et sequ. Neque quod dicitur ordinaria, intelligitur in eo sensu, in quo usurpatur de jurisdictione ordinaria, quae cuipiam jure proprio competit, et cui opponitur delegata. Etenim in hoc sensu etiam plenitudo potestatis est in Summo Pontifice ordinaria, quia illi competit jure proprio Pontificii Primatus. Sed ex objectis diversificatur potestas ista Pontificia, scilicet quatenus versatur circa objecta ordinaria, vel extraordinaria. Ita Sanctus Petrus Apostolorum Princeps habuit ab ipso Christo Domino in Ecclesiam et hanc potestatem ordinariam, et ipsam plenitudinem potestatis, quae in ejus Successores ex ipsius Dei institutione derivata est. Utraque autem

necessaria erat ad Ecclesiae regimen, ut si quando occurreret casus, in quo a consuetis regulis propter ipsius Ecclesiae bonum declinandum esset, quomodo non raro accidit, posset Summus Pontifex per hanc plenitudinem potestatis, absque contradictione, Ecclesiae utilitati, et necessitati prospicere. Haec potestas, sive vocetur plenitudo potestatis, sive potestas suprema et absoluta, sive oeconomica et dominativa, sive etiam supereminens dominium, aut potius potestas, cum Grotio *lib.* 2. *de jure belli cap.* 14. §. 7., sive denique imperium cum Cocceio *comment. in* §. 8. ejusdem Grotii, existit, et existere debet in Summo Pontifice; aliter non satis provvisum fuisset in institutione Ecclesiae ejus necessitatibus. Jam vero hujusmodi potestas distinguitur a potestate judiciaria, quae spectat ad ordinariam, et manifestum est ex ipsius natura, et fine, eo quod a consuetis juris regulis non dirigitur, nisi in quantum regulae illae pertinent ad jus divinum, et naturale immutabile. Quare numquam hujusmodi plenitudo potestatis ad hoc niti debet, ut quodlibet moliatur injustum contra privatos, aut aliquid efficiat publicae utilitati nocivum.

Debet igitur adesse causa notabilis uti-

litatis, aut necessitatis Ecclesiae, ut Summus Pontifex ejusmodi plenitudine potestatis utatur, maxime si ab ea jus quaesitum alterius auferatur. Est enim data haec potestas, nec aliter dari poterat, in aedificationem, non vero in destructionem. Quare etiam moderati, et prudentes Canonistae consentiunt, non posse Summum Pontificem pro libito suae voluntatis, et sine causa Clericum spoliare jure quaesito in Beneficium. Fagnani *lib.*1.*Decr. c. Quanto de Translatione num.*81. *et sequ. et lib.*3. *c. Consultation. de Institut. num.* 50. *et sequ.* Sed si adsit causa publicae utilitatis et necessitatis, satis probatum et exploratum est ex meliorum sententia, posse Principem auferre jus alterius. Justa autem causa auferendi alicui jus quaesitum de jure gentium est favor publicus; ut *l. item si verberatum*, §. 1. *ff. De rei vendic. l. Lucius, ff. de evict. et not. in l. Antiochens., ff. de privileg. credit.* Fagnani *lib.* 1. *cap. Quae in Ecclesiarum de Constit. num.* 118. *et* 119. Concordat Grotius *de jure belli ac pacis lib.*2. *cap.* 14. §. 7. ubi ait: *Sed hoc quoque sciendum est, posse subditis jus etiam quaesitum auferri per regem duplici modo, aut in poenam, aut ex vi supereminentis dominii. Sed ut id fiat ex vi supereminentis dominii, pri-*

mum requiritur utilitas publica; *deinde, ut, si fieri potest, compensatio fiat ei, qui suum amisit ex communi*. Ita etiam Cocceius *comment. in loc. cit.* admittit duos casus, in quibus Princeps potest auferre subditis jus quaesitum; 1. *si subditis in poenam auferatur*; *nam ex injuria tunc tenentur*: 2. *ob utilitatem publicam*; *idque ex obligatione, qua cives ad ea, quae ad salutem publicam pertinent, contribuere tenentur*. Addit vero contra Grotium; *tunc non vi supereminentis dominii*; *sed vi legitimi imperii subditis jus quaesitum auferri*. Quae discrepantia, et controversia est tantum fere de nomine. Jam vero si Princeps talia potest in subditos ob utilitatem publicam civilem; cur Papa, cui divinitus et immediate collata est potestas universalis in Ecclesiam, idem non poterit in Episcopos agere, si Ecclesiae utilitas, aut necessitas id exposcat? Nonne etiam Episcopi, ut cives, ex obligatione tenentur ad ea, quae ad salutem publicam pertinent, contribuere, et consensum praebere?

Sed dices: Quorsum haec? teneantur utique; sed naturalis aequitas, et ipsa Ecclesiae utilitas postulat, ut audiantur in hujusmodi casibus interesse habentes. Equidem, et absque dubitatione ulla haec vera sunt,

et ordinarie sunt servanda. Sed modo loquimur de casu, in quo in praesens Episcopi destituendi convenire nequeant apud Summum Pontificem, neque interrogari, et audiri possint, et si eorum destitutio differatur, Ecclesiae unius, aut multarum Ecclesiarum salus periclitetur; et eo magis si universa Ecclesia ob hujusmodi dilationem in discrimen adducatur. Nunc autem dico, quod talibus circumstantiis suppositis, eadem Ecclesiae necessitas, quae ab Episcopis consensum in propriam destitutionem expostulat, ab iis etiam assensum exigit, ne destitutio differatur; ideoque contenti esse debent, si in talibus circumstantiis neque audiantur, neque consulantur, neque interrogentur. In Summo vero Pontifice eadem plenitudo potestatis, quae facit, ut invitos Episcopos in talibus circumstantiis destituere possit, confert etiam, ut iis non auditis id possit praestare. Si hoc non procedit ex consueto ordine juris, nihil interest; non agit enim in hoc casu Summus Pontifex ex potestate judiciaria, sed ex potestate oeconomica; non agit ex potestate ordinaria a jure regulata, sed ex potestate extraordinaria, scilicet ex plenitudine potestatis supereminentis, ex potestate imperii regulis juris non subjecta; non agit per ju-

risdictionem contentiosam, sed per jurisdictionem supremam; non agit per modum judicii, et sententiae, sed per modum dispensationis, et dispositionis. Et praeterea notandum est, quod quum dicitur, non agere ex ordine juris, loquimur de jure civili aut canonico, non vero de jure naturali, aut divino, aut etiam publico. Hic enim modus agendi in casibus extraordinariis est quidem praeter jus civile aut canonicum, quod ad ejusmodi extraordinarios casus non extenditur, sed non est praeter jus naturale, aut divinum, aut etiam publicum, quia haec ipsa jura Principi, et Summo Pontifici hanc potestatem tribuunt pro talibus circumstantiis; unde male argueret, qui diceret, hujusmodi dispositionem opponi regulis juris. Aut enim hoc diceret de regulis juris canonici, et quum jus canonicum non provvideat nisi casibus ordinariis, et ordini judiciario, non potest illi opponi dispositio facta in casu extraordinario non contemplato in canonico jure, et extra formam judicii. Aut hoc assereret de regulis juris naturalis, divini, et publici, et tunc absolute negandum, talem dispositionem ab hujusmodi juribus difformem esse; immo dicendum, esse secundum talia jura, quae publicae utilitati et necessitati

ita provvidere intelligunt, in adductis circumstantiis, et subintellectis necessariis illis conditionibus.

Immo etiam in causis judiciariis potest dispensative a regulis canonici juris agere Summus Pontifex pro casibus extraordinariis, dummodo urgeat Ecclesiae necessitas, et jus naturale aut divinum non violetur. Hinc in relata Decretali Innocentii III. *de sententia et re judic. cap. In causis*, postquam dixit Summus Pontifex, quod in causis judicialibus decisis a Papa ordo juris, et vigor aequitatis est subtiliter observandus, adjungit statim: *nisi forte cum aliquid causa necessitatis et utilitatis inspecta, dispensative duxerit statuendum*.

Quare admittitur ab omnibus praeter judicium ordinarium, seu solemne, etiam judicium Summarium, vel extraordinarium, in quo possunt omitti illae solemnitates, quae jure positivo requiruntur, propter celerem causae expeditionem, non autem ea praetermitti possunt, quae de jure naturali, aut gentium, sunt necessaria ad legitimam causae decisionem. Ferrari v. *Judicium n.*11. *et sequ.* Sic Joannes Gerbais *de caus. major. art.* 11. in fine loquens de Commissariis ab Urbano VIII. datis die octava mensis Octo-

bris anno 1632. ad instantiam Ludovici XIII. Francorum Regis adversus quosdam ejus Regni Praelatos, ait formam illam judicii, ut scilicet Summus Pontifex supremum causae judicium aliis immediate committeret, necessarium fuisse, *ob genus criminis, quod cum praesentem Imperio suo* (Ludovici) *ruinam intentaret, longiorem, tametsi canonicam, judicii formam non sinebat usurpari*. Quare Charlas in *tract. de libert. Eccles. Gallic. lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 4. postquam dixit, non debere Summum Pontificem solitum judiciarium ordinem praetermittere vitandae perturbationis causa, subjungit; *non tamen ideo invalida esse Summi Pontificis Decreta, dummodo in iis nihil desideretur illorum, quae lex Divina, vel naturalis praecipit; praesertim si praetermittere ordinem necessitas, aut magna utilitas suadeat; puta si ejus conditionis sit negotium, ut nisi celerrimum afferatur remedium, plurima consecutura sint mala, qualia essent dogmata perniciosa, Sacramentorum prophanationes ec.* Addit deinde. *Vel enim forma illa est a Rege, aut populi usu constituta; et sic Summum Pontificem ut pote superiorem ligare nequit. Vel ab Ecclesia ipsa inducta est, et ita Supremi Pastoris est, super ea dispensare postulante necessitate, vel Ecclesiae utilitate;*

Si itaque in judiciis potest Summus Pontifex juris ordinem aliquando praetermittere, multo magis id poterit in causis, quae judiciales non sunt, et in casibus particularibus et extraordinariis, pro quibus a jure canonico nulla forma constituta est. Satis erit, quod Summus Pontifex in sua deliberatione naturale, aut divinum jus non laedat.

Igitur tota quaestio ad hoc reducitur, ut exploretur, an destituere Episcopum absentem et non auditum, quum gravis Ecclesiae necessitas urget, sit contra jus naturale, aut divinum. Et quidem si agatur de reo alicujus criminis, *citationem esse de jure naturali ac divino consentiunt omnes fere Doctores*; ait Charlas *loc. cit. cap.* 8. *num.* 1., *ita scilicet, ut nemo condemnetur, nisi se defendendi facultatem habuerit*. Subjungit n. 2. *Ea de causa inhumana semper habita sunt illa judicia, quae contra absentes non auditos, nec vocatos prolata fuerunt. Ipsimet Pagani ab eis abhorruerunt. Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, praesentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Verba sunt Festi ad Judaeos S. Pauli damnationem urgentes*. *Act.* 25. 16. Itaque Sanctus Joannes Chrisostomus de hac injustitia con-

querens in epistola ad Sanctum Innocentium Romanum Pontificem scribebat. *Neque in Gentilium judiciis, neque in Barbarorum tribunalibus talia attentata sunt unquam; immo vero neque Scythae neque Sauromatae unquam judicarunt, judicium dandum uni parti, Absente ea, quae accusatur*. Et Clement. *Pastoralis* versus finem dicitur: *De crimine gravi delato facultas defensionis, quae a jure naturali provenit, adimi non valet, cum illa tollere Imperatori non licuerit, quae juris naturalis existunt*.

Sed quae ratio praecipua est, cur in absentem non citatum, aut non auditum, sententiam proferri prohibeat jus gentium non solum, sed etiam naturale et divinum? Quia nemo condemnari debet, nisi se defendendi facultatem habuerit. Poena enim irrogatur propter delictum, et injustum est, quod aliquis ut delinquens infametur, et condemnetur, qui facultatem defendendi jura, vitam, et famam propriam non obtinuerit. Licet enim factum ipsum possit omnino notorium, et evidens esse, tamen ejus malitia plurimum ab adjunctis, seu circumstantiis pendet, quarum saltem aliquas nemo alius, praeter ipsum facti auctorem, ordinarie novisse potest. Praeterquamquod nimis interest

omne periculum praecavere; ne insons damnetur, ne calumniae accusatorum in insontes praevaleant, ne publica justitia in suspicionem violentiae inducatur, et ne judices arbitrarie aliquid decernere attentent contra subditorum jura. Haec autem ratio non militat adaequate, et pro semper, ubi non agitur de poena in delinquentem, sed de providentia in bonum Ecclesiae. Quare summopere attendenda est haec differentia inter depositionem et destitutionem Episcopi, quod depositio habet pro objecto finali proximo et immediato punitionem rei, destitutio autem pro objecto finali proximo et immediato habet Ecclesiae utilitatem. Ex finali autem objecto a deliberante intento diversificantur etiam media ad finem consequendum. Esto igitur quod non possit Papa reum punire, ideoque Episcopum deponere, nisi reo citato, convento, aut audito, et per publicas probationes. Verum quum non agitur de puniendo crimine, sed de avertendo malo, quod Ecclesiae imminet, poterit Summus Pontifex Episcopum destituere, eo non citato, aut audito, quia non agit ut Judex, sed ut Defendens auctoritate sibi a Christo Domino tradita Ecclesiam sibi commissam. Igitur in hoc casu objectum Pontificiae dis-

positionis non est judicium rei, sed salus Ecclesiae; ad Ecclesiae autem salutem neque a jure naturali, neque a Divino praescribuntur ea omnia media, quae ad judicium rei requiruntur.

Immo probat etiam Lessius, quod quamvis Princeps quantumvis certus de crimine, non potest *ordinarie* condemnare nisi citatum et auditum, tamen *in quibusdam casibus id non est necesse servare*. Plurimum autem interest hos extraordinarios casus ennumerare, et referre ex Lessio *l.* 2.*c.*29. *num.* 100. *et* 101., quia ex ejus doctrina non modicum lumen praesenti argumento accedet. Ait igitur, non esse necesse illum ordinem servare; *Primo si crimen est publicum, ut recte Navarr. cap.* 25. *num.* 10. *Sic latrones reperti in crimine, interdum e vestigio suspenduntur sine ulla defensione, aut processu. Ratio est, quia factum notorium, seu publicum, est loco accusatoris, et testium, nec relinquit illi jus ullum defendendi sese in judicio. Secundo quando esset periculum rebellionis, seu alterius gravis turbationis, si juridice procederetur, ut idem Navarrus docet, et Silvester v. Homicidium* 1. *qu.* 2. *ex Archidiacon., ut si esset valde potens. Tunc tamen debet ejus causa privatim discuti, nisi sit omnino evidens. Tertio quan-*

do quis machinatur reipublicae, vel privatis perniciem, quae aliter averti nequit, ut ante dictum est. Sed hoc non tam est punire crimen commissum, quam impedire malum impendens. Quarto si crimen soli Principi, et tribus aliis notum sit, ita ut juridice probari possit: tunc enim posset occulte interfici reus, sine citatione et probationibus, si publice absque gravi aliquo incommodo puniri non possit. Ratio est, quia quando crimen sic est probabile, manifestum est, reum non habere justam ullam defensionem in judicio. Ita Petrus Navarra num. 192. *et Arragon. qu.* 67. *art.*2., *qui pro eadem sententia citat Gregorium Lopez. Idem sentit Covarruv. lib.* 1. *variar. cap.* 1. *num.* 7. *et Jurisperiti supra citati.*

Eandem quaestionem pertractat Thomas Sanchez *Consil. Moral. lib.*3. *cap. unic. dub.*4., ubi inter caeteras sequentem conclusionem statuit. *In duplici casu potest procedi contra partem non citatam, nec auditam. Primus est, quando crimen est notorium, et liquido et certo constaret, nullam defensionem esse reo; tunc enim non esset necessaria citatio. Ratio, quia citatio est, ut citatus se defendat; ergo ubi certo constat non adesse defensionem, frustra est citatio. Sic Panorm.* ec. ec. *Secundus casus est, quando Princeps non recognoscens su-*

periorem, magna et justa de causa omittit vocare reum, et ipsum audire; nempe quia timetur grave scandalum, modo tamen curet allegari, et probari pro reo quaecumque possunt.

Addam etiam auctoritatem Pauli Layman, qui *lib.* 3. *Tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 1. sic ait. *Porro citatio, per quam Reo praesenti copia datur se defendendi, et ab objecta respondendi, adeo necessaria est naturali et gentium jure, ut sine ea processus judicii, et lata sententia irrita censeatur, excepto si notorium sit, nullam Reo defensionem competere posse, sicut ex communi tradit. Abb. c. dilecti num.*6. *de Judic. Nav. l.* 2. *cons.*5. *num.*3. *de appellat. et in Man. c.* 25. *num.* 10. *P. Navar. l.*2. *c.*3. *num.* 192., *ubi ajunt, si certum sit, Reum de atroci crimine juridice convinci non posse, nulla illi legitima exceptione, aut defensione competente, at vero ad evitandum grave malum, juridico processu necessario supersedendum esse existimetur, tunc absque eo ad condemnatoriam sententiam, ejusque executionem procedere interdum Principi concessum esse. Vide etiam Mynsing. cent.* 2. *observ.* 91. *Gail. l.* 1. *obsv.* 48., *et sequ.* Idem confirmat Leurenius *l.* 1. *tit.* 32. *qu.* 894. *num.* 4.

Quare, ut tandem ad certam et distinctam conclusionem deveniamus, habemus

ex probatissimis et doctissimis theologis, canonistis, et jurisperitis, quod ordinarie reus condemnari non potest nisi citatus et auditus, et hoc jus illi competit ex jure naturali et gentium. Sed nihilominus dari casus extraordinarios, in quibus etiam reus non citatus, neque auditus juste condemnari possit, quin jus naturale aut gentium violetur. Hi autem extraordinarii casus sunt, *quando factum notorium, seu publicum est loco accusatoris et testium, nec relinquit reo jus ullum defendendi se in judicio; quando esset periculum rebellionis, vel alterius gravis turbationis, si juridice procederetur; quando quis machinatur reipublicae perniciem, quae aliter averti nequit; denique quando reo nulla legitima exceptione, aut defensione competente, ad evitandum grave malum juridico processu necessario supersedendum existimetur.*

Si igitur hoc licet in causis criminalibus contra reos, et factum in talibus circumstantiis tenet, et validum est; quanto magis, ubi non agitur per viam judicii, et jurisdictionis contentiosae, sed per viam oeconomicam, dispensativam, et dispositivam, non ad punitionem rei, sed ad salutem Ecclesiae? Dicamus equidem, non deberi ordinarie destitui Episcopum a Summo Pontifice absque

ejus consensu, et ipso non audito; hoc enim summopere congruit juri naturali, et ecclesiastico. Sed tamen inficiari non poterit, licitum esse Summo Pontifici Episcopum destituere, quamvis invitum, et non auditum, in aliquo extraordinario casu, in quo concurrat aliqua ex circumstantiis praedictis; *quando Summo Pontifici ita notoria et manifesta est necessitas Ecclesiae, ut non relinquat Episcopo jus ullum ad resistendum praecepto Papae, et ad renuendam renunciationem*; *quando esset periculum gravis perturbationis in Ecclesia, si juridice procederetur, aut Episcopi destitutio differreretur*; *quando gravis Ecclesiae pernicies aliter averti nequit*; *quando denique Summo Pontifici evidenter innotescit, nullam Episcopo legitimam exceptionem competere, et aliud grave malum evitari necesse sit per promptam, et non retardatam ejusdem Episcopi destitutionem*. In his omnibus casibus, dummodo manifeste constet Summo Pontifici Ecclesiae necessitas, evidens est, ipsi competere jus destituendi Episcopum quamvis non auditum, vel invitum; immo jure merito ejus consensum praesumi, qui si non adsit, ab ipso per Supremum Pontificem derogari poterit.

Ratio intrinseca utriusque in eo funda-

tur, quod sicuti a jure naturali et gentium difforme et exhorbitans est, si aliquis puniatur, aut jure quaesito privetur non citatus, neque auditus, ita eidem naturali juri et gentium consonum est, si hoc fiat, quando aliter a Republica, aut ab Ecclesia imminens malum averti nequit, et manifeste Supremo Principi constat aut de reatu delinquentis, aut de necessitate Reipublicae, vel Ecclesiae, unde quisquis ob commune bonum teneatur suo privato juri cedere. In quo casu manifestum est, Supremam Potestatem a privatis nihil aliud exposcere, aut exigere nisi id, quod ex jure naturali et gentium deberent. Et revera si apud juris peritos valet illud effatum: *Salus Reipublicae suprema lex esto*; eo magis extendi hoc debet ad Ecclesiam, ita ut jure dicatur: *Salus Ecclesiae suprema lex esto*. Quod semper intelligendum est, dummodo jus naturale, aut divinum, aut gentium non violetur. Ubi ad majorem declarationem notandum est, non omnia jura naturalia et gentium obligare semper, et ad semper, sive in omnibus circumstantiis, ita ut nullam exceptionem sive temporis, sive modi umquam patiantur. Sunt enim aliqua jura naturalia permissiva, aut negativa, aut concessiva licita, et data hominibus, ut ré-

rum communitas, hominum libertas, et similia, de quibus lex naturae non praecipit, ut in eo statu permaneant, sed hoc relinquit hominum dispositioni juxta rationis exigentiam. Suarez *de legib. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 6. Et hoc etiam locum habet, quando jus naturale aliquod cum altero naturali jure altioris ordinis decertat, ita ut utrumque servari nequeat. Sic cum jus privatum in bona externa juri communi reipublicae nocet, possunt subdito auferri bona externa immediate a magistratu, qui ex dominio alto, quod respublica sibi retinet super ejusmodi bona subditorum, potest de iis, causa interveniente, disponere, ut cum supra citatis asserit de *Lugo de just. et jur. disp.* 10. *sect.* 4. *num.* 109. Immo propter publicam salutem potest Princeps subditum innocentem adigere, ut se hostibus tradat, quia privatus tenetur se exponere periculo vitae propter publicam salutem, et hinc potest Princeps eum cogere, ut debito suo satisfaciat. *ibid. num.* 114.

Huc usque probatis non officit promissio facta ab Alexandro V. in Concilio Pisano sess. 21., ut refert Thomassinus *de Beneficiis part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 64., in quo Papa pollicitus est, *sacro approbante Concilio, non facere translationes de invitis, nisi parte audita, et vocata, et de consensu majoris partis*

Cardinalium, nisi ex causis justis et rationabilibus. Neque pariter obstat dispositio Concilii Constantiensis *Sess.* 39. eadem de causa, et iisdem conditionibus concepta, quam in Mantuana Synodo laudavit Pius secundus Pontifex, qui Regis Christianissimi Legatis petentibus, ut Januae Archi-Praesul ad aliam Ecclesiam transferretur, respondit: *Obstant desiderio vestro Decreta Summorum Pontificum, quae Praelatos invitos non cognita causa transferri prohibent. Quod etiam in Constantiensi Concilio extitit repetitum*; apud Lucam Dacherium *Spicil. tom.* 8. *pag.*296. Idem Decretum renovatum fuit in Concilio Basileensi. *Sess.*23. Et certe, subjungit Christianus Lupus *in can.* 13. *Dictatus S. Gregorii VII. Oper. tom.* 5., inviti Episcopi translatio rigidissime damnata est per Felicis tertii Romanam Synodum. Translationes omnes aboleri, aut certe intra necessariam causam juxta praesentem Dictatum circumscribi urgebant apud Tridentinam Synodum per litteras etiam Sanctus Thomas de Villanova Valentinus apud Hispanos Archiepiscopus, et viva voce Hieronymus Seripandus Archiepiscopus Salernitanus, Sanctaeque Romanae Ecclesiae Cardinalis, et dictae Synodo Praesidens Legatus. Verum istius disciplinae tempus nondum advenerat. Huc us-

que Christianus Lupus. Ubi notandum, quod ea, quae de translationibus dicta sunt, multo magis Episcoporum destitutionibus applicari debent, scilicet ut non fiant de invitis, nisi parte audita et vocata, atque insuper, ut habet *can.* 13. *Dictatus Gregorii VII.* necessitate cogente.

Verum quis non videat, haec Decreta valere solum, ut caeteros Canones disciplinares, pro regula in casibus ordinariis, non autem pro extraordinariis, et urgentibus cogente necessitate? Quis nesciat, Summos Pontifices coactive non subijci, sed tantum directive vel Conciliorum Decretis, vel suorum Antecessorum Constitutionibus? Superfluum esset ea repetere, quae de hoc argumento a catholicis Scriptoribus invictissime demonstrata sunt, ac si quotidie controverti deberet, quod a nonnullis non recte, ab aliis maligne impugnatur. Adde, quod Decreta Constansiensia, Pisana, et Basileensia manifeste indicant, quod Summi Pontifices interdum Episcoporum translationes fecerant de invitis, et parte non audita, nec vocata. Igitur judicabant Summi Pontifices, hoc posse licite et valide facere in quibusdam casibus; nec adducitur exemplum, quod probet, hujusmodi translationes de invitis, par-

te non audita, nec vocata, tamquam irritas habitas fuisse in Ecclesia Catholica. Immo idem Christianus Lupus refert ex Thoma Walsigamensi, quod Joannes, quem invitum Bonifacius Nonus Lincolnia Cestram transtulerat, maluisse Cantuariae Monachum vivere, et mori, quam ita fieri Episcopum Cestrensem. In quo facto manifestum est, locum habuisse destitutionem Joannis, neque eam tamquam irritam impugnatam, sed in Lincolniae Sedem alium, ut facile supponi potest, fuisse suffectum. Itaque dicendum potius, quod illa Decreta obicem opponere voluerunt Translationum frequentiae, et abusui, si qui irrepserat, sed nihil prejudicii juri, et potestati Summi Pontificis intulerunt, quam non negabant, sed tantum ejus usum pro ordinariis casibus prohibebant. Si autem ex natura sua hujusmodi translationes irritae judicatae fuissent, obvium erat et opportunum hoc in iis Decretis declarare, quod certe factum non fuit. Praeterquamquod disciplinaria Decreta Pisani, Constantiensis, et Basileensis Concilii nimis auctoritate claudicant, ut ex iis aliquid contra Summi Pontificis auctoritatem erui possit.

Denique, ut supra mònuimus, contra humanam legem semper summa lex retinen-

da est de vera, utili, et necessaria Ecclesiae pace. Etenim, ut ait Gersonius *Consider.* 1. *de Pace*; *finis politiae ecclesiasticae, et cujuslibet legis eam regulantis est pax salutifera. Cum igitur secundum exigentiam finis caetera debeant moderari, et finis est, qui imponit necessitatem rebus, necessitas vero legem non habet, perspicuum est, quod nulla lex habeat aliquid firmitatis, si paci faciendae, vel conservandae invenitur contraria, sed debet interpretari, ut serviat paci, vel penitus aboleri. Sic Athenienses fecerunt ad tempus leges Lycurgi non esse, ut semper essent*; *et Nasica Scipio*: *Dum Consul, inquit, juris ordinem sequitur, id agit, ut cum omnibus legibus Romanum corruat imperium. Nullo pacto igitur observatur lex, non observato legis fine, qui est pax. Ex quibus elicitur conclusio saluberrima, quod nulla via proficiens ad sedationem Schismatis repudianda est, quantumcumque jura, vel leges humanae videantur opponi, dummodo divinum mandatum, vel jus maneat inviolatum*.

Quaeritur tertio; *An Summus Pontifex possit Episcopum destituere absque Provincialis Synodi consultatione*. Notum est in Dictato S. Gregorii septimi haberi hunc Canonem qui est 25. *Quod absque Synodali Conventu*

Papa possit Episcopos deponere, et reconciliare. Si igitur Papa potest Episcopos absque Synodali consultatione deponere, ratio non existit, cur etiam non possit eos pari modo destituere. Et quidem diversa ratio est de depositione peracta per Metropolitanos, ac de illa, quae fit per Romanum Pontificem. Cautum enim fuit antiquitus, non posse Metropolitas deponere Episcopum non solum absque Synodali conventu, sed neque absque Synodali sententia. Ideo scripsit S. Gregorius Magnus *l.* 2. *ep.* 47. 48. *et l.* 7. *epist.* 12. *Non potest quemquam Episcopatus gradu, nisi concors Sacerdotum submovere sententia*. Hoc ipsum scripsit Leo quartus ad Nomenojum minoris Britanniae Ducem; hoc ipsum confirmat Nicolaus primus ad Salomonem Nomenoii successorem. *ep.* 56. Et quidem ex antiquis regulis praescriptum videtur, *quod nulla ratio sineret Episcopos a suis Sedibus pelli, quos duodenarius numerus non ejecisset*; ut affirmat in supradicta epistola Nicolaus primus. Quam regulam etiam in Oriente servatam fuisse testatur Theodorus Balsamon in suis scholiis ad Canonem duodecimum Africani Codicis. Sic Triburiensis Synodus statuens nullum deponi Episcopum, nisi a duodecim Episcopis, diserte profitetur se ita statuere ex Africano Canone.

Sed haec non posse ligare Summum Pontificem manifestum est, tum ex divino jure Primatus, tum ex ipsa antiqua Ecclesiae disciplina. Etenim Papa utpote Christi Vicarius, et Supremam auctoritatem habens in Ecclesiam universam, non indiget per se, ex natura suae dignitatis, et potestatis, inferiorum suffragio in suis deliberationibus, quamquam summopere consonum prudentiae sit, ut in gravioribus negotiis sui Senatus consilia exquirat, quod semper in more fuit apud Apostolicam Sedem. Circa vero disciplinam sufficit id, quod scripsit S. Gelasius in literis ad Dardaniae Episcopos, ad Faustum Magistrum, et ad Imperatorem Anastasium. Ostendit plures etiam Patriarchas a sola Romana Cathedra fuisse damnatos: nempe Timotheum Aelurum Alexandrinum, ejus successorem Petrum Mogum, Petrum Fullonem Antiochenum, et Nestorium Constantinopolitanum. Affirmat esse antiquum morem, ut sine Synodo Romanus Pontifex et damnet Episcopos, et absolvat damnatos. Hinc Joanni Syracusae Episcopo, suo apud Siculos Vicario, ut ad damnandum Lucillum Melitensem Episcopum, non duodecim, sed dumtaxat quatuor collegas sibi associet, mandat Gregorius Magnus; quod nempe haec res Pa-

pali arbitrio subesset. Vide Christian. Lupum *in Dictat. Gregorii VII. can.* 25., et Thomassin. *de Benefic. part.* 2. *cap.* 61. *num.* 14. *et sequ.* Vidimus supra, Concilium Pisanum, Basileense, et Constantiense prohibuisse Translationes factas a Summo Pontifice absque consensu majoris partis Cardinalium. Nusquam decretum fuit de consensu Synodi Provincialis; et si decretum fuisset, non tamen potuissent hujusmodi inhibitiones ligare Summum Pontificem. Quare dicendum est, neque in destitutionibus Episcoporum Papam indigere consensu aut Provincialis Synodi, aut majoris partis Cardinalium, quamvis valde conveniens sit Cardinalium suffragia exposcere.

Praeterea rursus repetendum est, quod supra saepe monuimus: Supremum Pontificem in Ecclesia indigere absoluta et independenti potestate, ut possit ejus necessitatibus opportune provvidere. Quod enim Joannes Bodinus Andegavensis Gallus de jure Majestatis in Principe asserit, non video, cur ex iisdem rationibus non sit transferendum ad jus Pontificii Primatus in Ecclesia. Ait autem Bodinus *de Republic. lib.* 1. *cap.* 8. *Neque modo aequum est, sed etiam necessarium; Leges in Principis arbitrio perinde esse, ut in potestate gubernatoris ipsa gubernacula; quae*

essent inutilia, nisi ad omnem caeli faciem, et opportunitatem moveri, et contineri possent, ut rectissime Sextus Caecilius dicere solebat: Ne ipsa navis cum gubernatore prius naufragium patiatur, quam vectores consuli possint. Quod si Magistratibus interdum ea potestas, cogente Reipublicae necessitate, tributur, quanto magis Summo Principi necessarium?

Quaeritur quarto; *An Episcopus a Summo Pontifice destitui possit absque translatione, aut intitulatione ad aliam Ecclesiam*. Videtur enim, quod ille, qui absque sua culpa propter Ecclesiae bonum jure quaesito spoliatur, jus habeat ad compensationem. Pro responsione hujus quaesiti praemittendum est, quod Episcopus absque culpa sua Sede destitutus non solum retinet Ordinem Episcopalem, qui auferri nequit omnino neque propter culpam, sed etiam Episcopalem dignitatem, ideoque sui Ordinis executionem, quam exercere potest erga subditos cujuscumque catholici Episcopi cum ejus licentia. Igitur privatur solum regimine particularis Ecclesiae, ad quam intitulatus fuerat. Nihilominus dicendum, si non jus rigorosum, saltem tamen aequitatem postulare, ut de alia Ecclesia provideatur in compensationem ejus, quam amisit. Neque certe Apostolica Se-

des unquam omitteret hujus aequitatis testimonium exhibere. Sed hoc ab Apostolica Sede praestandum est, quatenus per loci et temporis circumstantias permissum fuerit, quod nemo inficiabitur. Sic etiam vidimus ex sententia Grotii, posse Principem subditis jus quaesitum auferre ex vi supereminentis dominii, et publicae utilitatis causa; *sed in tali casu, si fieri potest, compensatio fiat ei, qui suum amisit, ex communi*. Igitur concedendum, quod aequitas postulat, ut compensatio fiat Episcopo destituto, sed quando, et quatenus fieri potest. Quare ait de Petra *comment. tom*. 1. *in Constit*. 2. *Leon*. 9. *num*. 39. *Aliquod discrimen est in casu renunciationis ob culpam propriam, et illius, quae fit ob culpam plebis, vel ex causa intrinseca justa. Secundo enim casu debet dari recompensatio aequalis, vel debet assignari congrua, habito respectu ad Ecclesiam, quam dimittit, et ad qualitatem dimittentis*. Quod adaequate debet etiam applicari ad destitutionem sine culpa, scilicet ut compensatio fiat destituto. Hanc autem determinare spectat ad ipsum Summum Pontificem, non modo propter ejus jus in regimen universalis Ecclesiae, sed etiam propterea quod ipse solus adaequate cognoscere potest, quid et Ecclesiae

utilitati, et destituti Episcopi commodo expediat. Quare dicerem, Episcopum destitutum habere quoddam jus ad rem, quamvis actu non habeat in re. Atque hoc magis explicat, quantam affinitatem habeat destitutio cum translatione, quia in translatione adest destitutio ab una Sede, et intitulatio in altera; destitutio vero non conjungitur immediate cum intitulatione, sed jus ad illam non aufert, immo potius hoc jus destituto confert, ac reservat toties quoties possit effectum obtinere. Unde concludi denique posset, quod destitutio sit quasi translatio inchoata et imperfecta, quae suum complementum, et perfectionem exigit, si fieri possit.

Quaeritur quinto; *an huc usque exposita procedant similiter, si agatur non de unius Episcopi, sed de plurium Episcoporum destitutione, ita ut hujusmodi destitutio respiciat totam Provinciam, aut Regnum.* Respondeo, nihil contra per se obstare, dummodo concurrant eaedem circumstantiae, quas de unius Episcopi destitutione exposuimus, scilicet ut id exposcat urgens, et ineluctabilis necessitas Ecclesiae. Et ratio manifesta est, quia supposita necessitate Ecclesiae, tenerentur Episcopi renuntiare; ergo si recusent, aut si

ipsa Ecclesiae necessitas dilationem omnem prohibeat, poterit Superior, scilicet Summus Pontifex eos destituere vel invitos, vel non auditos. Inest enim in Summo Pontifice eadem potestas sive pro uno, sive pro pluribus. Immo hic est casus, in quo potissimum locum habet destitutio. Si enim agatur causa unius, facillimum videtur, quod possit immediata translatione ejus damnum compensari; ideoque non simplex destitutio, sed vera translatio poterit ordinarie absque gravi perturbatione habere locum. Verum si necessitas Ecclesiae respiciat plurium Episcoporum destitutionem, et dilationem respuat, quis non videt, quam arduum evadat, plures Episcopos extemplo de alia Sede provvidere? Satis erit igitur in hujusmodi circumstantiis, quoad fieri poterit, eorum commodis, et utilitatibus praecavere, et provisionem ad opportunum tempus differre. Laudat summopere S. Augustinus Beati Melchiadis Papae sententiam in causa Donatistarum, qui ordinatis a Majorino provviderat, ut si ad Catholicam Ecclesiam regredi vellent, possent episcopalem honorem retinere, atque ubi duo fuissent Episcopi, unus ex parte Caeciliani, alter ex parte Majorini, ille confirmaretur, qui fuerat prior ordinatus, alter

autem provideretur de nova plebe. *Et tamen qualis ipsius beati Melchiadis ultima est prolata sententia, quam innocens, quam integra, quam provida, atque pacifica, qua neque collegas, in quibus nihil constiterat, de collegio suo ausus est removere, et Donato solo, quem totius mali principem invenerat, maxime culpato, sanitatis recuperandae optionem liberam caeteris fecit, paratus communicatorias litteras mittere etiam iis, quos a Majorino ordinatos esse constaret: ita ut quibuscumque locis duo essent Episcopi, quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur*. Sunt verba S. Augustini *in epist.*43. *num.* 16. *edit. noviss.* Haec S. Melchiadis dispositio locum non habuit ex Donatistarum pervicacia. Sed si locum habuisset, pronum est credere, quod Episcopi, qui loco cedere debuissent, non omnes statim de alia plebe provideri potuissent. Interea certum est, Melchiadem Papam, ut paci Ecclesiae consuleret, hac sententia pronunciasse, quod vellet, ut quisque quamvis Catholicus Episcopus, qui prior ordinatus non fuisset, loco cederet, idest sua Sede destitueretur, et aliam plebem obtineret. Ecce exercitium plenitudinis Pontificiae potestatis supra Epi-

scopos, quorum plures certe non fuerunt consulti a Melchiade, neque eorum ab ipso expectatus consensus ante sententiam. Et tamen de hac sententia dicit Augustinus: *quam innocens, quam integra, quam provida, atque pacifica*!

Quaeritur denique; *cui competat judicare de necessitate Ecclesiae in hujusmodi Episcoporum destitutione*. Cum enim causa finalis, et principalis talis destitutionis debeat esse aut magna utilitas, aut gravis necessitas vel Ecclesiae alicujus particularis, vel Ecclesiae universalis, patet, quod justitia destitutionis a veritate, sive ab existentia talis causae dependet, ita ut tali causa existente, destitutio sit legitima et valida; non existente vero tali causa, sit illegitima et irrita destitutio. Habet enim Papa hoc jus in aedificationem, non in destructionem, non illimitatum et despoticum pro arbitrio voluntatis contra jus quaesitum alterius, sed regulatum a bono Fcclesiae simul, et a debito justitiae in alterum. Respondeo igitur; non posse cadere difficultatem circa personam, cui spectat cognoscere, et judicare de causa destitutionis. In quacumque enim materia judex, cui pertinet pronunciare sententiam, ipse debet inquirere, et cognoscere rationes deciden-

di. Judicare est enim in causis decidendis jus dicere, sive definire, quod justum est. Patet autem, quod ille, cui pertinet definitio, decisio, sive sententia, habet etiam pro officio jus cognoscere, ac proinde rationes hinc inde perpendere, et facta explorare, atque judicare; aliter ad decisionem et sententiam deveniret imprudenter, et cum gravi periculo errandi, et aliorum jura laedendi. Quibus positis clarum est, quod Papa, cui pertinet definire, et decidere de Episcopi destitutione, ipse ex officio debet causam destitutionis cognoscere, et judicare; ideoque ipse est, et non alius, cui ex officio competit haec cognitio, et judicium. Adde, quod in his casibus Papa agit ut superior Summus imperando, ac praecipiendo, quod praeceptum vocari potest quodammodo intimatio sententiae; praeceptum autem, ut justum et rationabile sit, praeire debet decisio facta cum perfecta cognitione necessitatis Ecclesiae; aliter esset actus arbitrarius, et despoticus.

Praeterea notandum est, quod ipsum Ecclesiae bonum postulat, ut Papa sit Judex ejus utilitatis, aut necessitatis in hujusmodi circumstantiis, et consequenter ex ipsa natura rei decidendae Papae competit hoc judicium, et non alteri. Nam cujuslibet par-

ticularis Ecclesiae bonum, aut incommodum relationem habet ad bonum, aut incommodum Ecclesiae universalis, sicut incommodum aut bonum singulorum membrorum non est simpliciter et solummodo incommodum, et bonum singulorum, sed etiam bonum aut incommodum corporis totius. Igitur alicujus Episcopi destitutio redundat non solum in bonum, vel incommodum Ecclesiae particularis, de qua destituitur, sed etiam habet aut majorem aut minorem relationem ad bonum, aut incommodum commune, et publicum universalis Ecclesiae. Quis autem non videat, quod ille, cui spectat sollicitudo universalis Ecclesiae, ille solus est, qui potest recte et apte judicare de necessitate, vel utilitate destitutionis, quia ipse solus est, qui possit adaequate cognoscere necessitatem, aut utilitatem Ecclesiae particularis simul, et universalis pro tali casu. Quisquis alius, ut v. g. ipse Episcopus loci, idoneus esse non poterit ad hanc duplicem cognitionem, quae pro decisione requiritur; ideoque quisquis alius non solum non posset esse talis causae judex legitimus, sed neque judex idoneus.

Quae autem dicta sunt, eo magis convincunt, si non de una Ecclesia solummodo

agatur, sed de pluribus simul, ideoque de destitutione plurium Episcoporum ad utilitatem totius Provinciae, aut Regni. Quanto major est enim numerus membrorum infirmorum, eo magis eorum sanitas, aut discrimen pertinet ad totum corpus, et eorum necessitas aut utilitas in necessitatem aut utilitatem totius corporis redundat. Item eo magis ad justam et utilem decisionem ferendam requiritur, qui cognoscat et singulorum separatim, et singulorum ad invicem, et omnium simul infirmorum membrorum relationem ad commune corporis bonum. Et consequenter si in disquisitionem cadat, an necessaria sit destitutio Episcoporum totius Regni, aut Provinciae, nemo est, qui sit idoneus ad judicium ferendum, nisi Summus Pontifex, ad quem pertinet, et pervenit cognitio adaequata de necessitate singularum Ecclesiarum et separatim, et ad invicem, et relate ad universum Ecclesiae corpus. Si enim Provinciales Episcopi etiam conjunctim de hoc judicare deberent, possent ad summum de utilitate aut necessitate totius Regni, aut Provinciae aptum judicium pronunciare, non vero de utilitate, aut necessitate totius Ecclesiae. Praeterquamquod ad hoc judicium ferendum Synodalis conventus requireretur, qui non semper obtineri potest,

et quem attendere urgens necessitas non semper permittit. Stat ergo, quod in tali casu cognitio et decisio pertinet ad solum Papam et ex officio, et ex requisitis ad cognitionem causae.

Hinc profluit, quod si Papa praecipiat aliquibus Episcopis renunciationem, et eos vel invitos, vel non auditos destituat, non possint Episcopi hujusmodi destitutionem cassare, et annullare ex pretextu utilitatis, aut necessitatis Ecclesiae. Et ratio potissima est, quia inferior de factis sui Superioris judicare non potest. Cum igitur Papa sit Superior, et judex Supremus in Ecclesia, et Episcopi sint inferiores, atque ei subordinati et subditi, non habent jus judicandi de decisionibus et sententiis Supremi Pontificis. Qualecumque igitur judicium ferrent contra ejus decisionem, nullum et irritum judicium esset, quia destitutum legitima auctoritate in judicantibus. Est enim cuique notum, quod nullus inferior constitutionem Superioris, aut praeceptum potest tollere, aut modificare, aut illi aliquatenus detrahere, ut in Clem. *Ne Romani* de elect. Fagnani de Arbitris c. *contigit* num. 6. et c. *inferior* 21. dist. cap. *Cum inferior* de majorit. et obed. Ubi addendum est, quod Papa non est solum Superior judex in Ecclesia, sed Supremus, et independens;

est quodammodo Potestas publica, cui privatus resistere nequit, ut ait Grotius *de jure pacis et belli lib.* 1 *.cap.* 4. §. 4. *n.* 5. *In publicis autem praecipuum haud dubie est ordo ille, quem dixi, imperandi, parendique* ; *is vero cum privata resistendi licentia consistere nequit* ; ubi addit Coccejus in Comment. *Ratio rationis haec est, quia privatorum non est judicium, quid ad finem universalem pertineat*. Quae sententia, ut vidimus, maxime locum habet in casu de destitutione plurium Episcoporum. Quibus etiam addi debet, quod inferior Papae non potest regulariter esse Judex in causa propria, sed Papa regulariter contra. Fagnan. in c. *Nosti de elect. num.* 15. *et* 16. Henric. Coccej. *ad Grot. lib.* 1. *cap.* 3. §. 17. Pirhing. *lib.* 2. *tit.* 1. *sect.* 2. §. 3. per totum. Igitur evidens fit, quod Episcopus destitutus non potest esse judex legitimus de jure in causa propriae destitutionis. Restat itaque, ut procedat tamquam judex privatus non externo, sed interno judicio et sententia de validitate, aut nullitate causae. In quo judicio aut adest certitudo, aut incertitudo et dubium ; quae duo separatim examinanda sunt.

Si itaque sit dubium ; *an Summus Pontifex Episcopum destituerit ex causa justa nec ne* ?

respondendum est ad hoc propositum idem, quod Fagnanus reponit de dubio in causa translationis. *C. Quanto num.* 120. *et seq. Si Papa procedit jubendo, Episcopus cogitur parere, quia praesumitur factum favore Ecclesiae, C. Omnes, 7. q. 1. Ad hoc faciunt notata per Legistas in l. fin. C. si contra jus, vel utilit. public. et in l. Praescriptione, C. de precib. Imperat. offeren. et per Canonistas in cap. Quae in Ecclesiarum de Constit.*, ubi communiter volunt, causam praesumi in Principe, etiamsi agat in his, quae competunt alicui jure gentium; immo et in his, quae sunt de jure divino, ubi solitum est dispensari. Suarez *de Legib. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 11.

Quod si Episcopus *certus fuerit de nullitate causae, et de praejudicio, quod Ecclesiae resultat ex sua destitutione*, tenetur quidem humiliter exponere Papae Ecclesiae damnum, sicut inferior superiori, quando agitur de publico bono; sed numquam dicendum, quod possit resistere, aut se gerere tamquam non destitutum. Prima ratio est, quia bonum privatum debet cedere bono publico. Publicum autem bonum, et praesertim spirituale importat, ut nemo *violenter* retinere velit propria jura, quamvis sine justa causa adempta contra mandatum Principis Supremi;

aliter pax publica summum incommodum sustineret, tum ob scandalum, a quo praescindi non potest in hujusmodi casibus, tum quia admodum facilis aditus cuique aperiretur obsistendi mandatis Principis, quia nemini, qui suo jure privatur, certitudo deesse poterit aut vera, aut supposita, quod fuerit injuste gravatus. Altera ratio est, quia qui auctoritate publica spoliatus est, quamvis injuste possessione in re deturbatus fuerit, etsi retineat jus, et proprietatem in rem suam, non potest tamen privata auctoritate possessionem recuperare, et illegitimum possessorem expellere, sed indiget ad hoc ipsius publicae auctoritatis decreto; aliter infinitis abusibus, et inordinatis excessibus aditus patefieret, si privato jure ita agere liceret. Patet hoc ex titulo *De Restitutione Spoliatorum*, ubi injuste spoliatis conceditur quidem recuperatio Beneficiorum, praetermisso juris ordine, sed tamen per ecclesiasticam auctoritatem. Hinc ait S. Thomas 2. 2. *qu.* 66. *artic.* 5. *ad* 3., quod qui furtim accipit rem suam apud alium injuste detentam, *peccat contra communem justitiam, dum ipse sibi usurpat suae rei judicium, juris ordine praetermisso. Et ideo tenetur Deo satisfacere, et dare operam, ut scandalum proximorum, si in-*

de exortum fuerit, sedetur. Et leges ipsae civiles vi dejecto subveniunt ad recuperandam possessionem, sed per Praetorem. *Digest. lib.* 43. *tit.* 16. *de Vi*. Immo nolunt Interdictum *Unde vi* competere filiis contra parentes, *quia atrocitatem facinoris in se habet, meliusque erit in factum actionem his competere l.* 2. §. *Interdictum*. Si igitur filio contra patrem non competit illud Interdictum, quia infamiam aliquam facti parit, quanto magis convenit Episcopo reverentia in Patrem omnium Fidelium, ne et sibi, et illi producat infamiam. Et quod dicitur apud Samuelem de jure regis, explicat Grotius, per illud jus indicari factum, *quod effectum aliquem juris habeat, idest non resistendi obligationem. Ideo additur, populum pressum istis injuriis Dei opem imploraturum, quia scilicet humana remedia nulla extarent. l.* 1. *c.* 4. §. 3. Haec autem non resistendi obligatio etiam convenit Episcopo erga Summum Pontificem. Denique nemo potest esse omnino certus in casu proposito de nullitate illius actus. Quum enim, ut vidimus, talis actus respiciat non solum commodum, aut necessitatem particularis Ecclesiae, sed etiam universalis, nullus Episcopus, esto quod suae Ecclesiae perfectam cognitionem habeat, poterit praesumere,

quod sibi status et necessitas constet Ecclesiae universalis, sicuti Summo Pontifici innotescere penitus debet; ideoque saltem propter defectum cognitionis, numquam de vitio destitutionis propter nullitatem causae certitudinem sibi comparare poterit. Neque ad jūdicandum de incommodo Ecclesiae, quod ex hujusmodi destitutione resultare posset, attendenda sunt facta posteriora ipsi destitutioni. Primo quia exitus non probat justitiam causae, quae attendi debet eo tempore, quo destitutio peracta est, et non postea. Omnis enim humana moralis actio suam bonitatem aut malitiam recipit ex objecto, fine, et circumstantiis occurrentibus agenti tempore suae actionis, et non post actionem jam positam, et perfectam. Inepte igitur ratiocinaretur qui diceret v. g., ex renitentia, aut indulgentia aliquorum Pontificum, sequutae sunt turbae, aut disciplinae relaxatio, ergo male se gesserunt illi Pontifices. Non ex futuris incertis, et quae praevideri nequeunt, sed ex praesentibus certis, et ex futuris ab agente post adhibitam diligentiam praevisis, dimetienda est actionis, et agentis prudentia, et justitia. Deinde, quia in hujusmodi rebus saltem nemo privatus certo asseverare poterit, illa incommoda im-

mediate et efficaciter subsequuta esse ex tali actione ; possunt enim , ut in humanis rebus saepe fit, evenire per accidens. Tertio denique, quia subditus videt mala, quae accidunt, sed ignorat majora, quae accidissent, nisi Superior ad illam dispositionem devenisset. Quare in hujusmodi casibus inferior numquam poterit contraire Superiori, non solum ex defectu jurisdictionis contra Superiorem, sed etiam ex defectu idoneitatis requisitae ad judicandum. Pertinet igitur ad Summum Pontificem hoc judicium, cum exclusione cujuscumque inferioris ; et illegale, et nullum foret cujuscumque privati judicium ad retinenda aut recuperanda sublata jura per Supremum Principem.

Et certe si neque Episcopus injuste depositus potest absque superiori auctoritate suam Sedem recuperare, quamvis facilius illi sit injustitiam sententiae cognoscere, quia agitur de facto proprio, cujus ipse penitus conscius est ; quanto minus licebit Episcopo propter necessitatem Ecclesiae a Papa destituto suam Sedem retinere, antequam illi eam rursus adjudicet Supremus ipse Pontifex, quum nullitatem destitutionis fere impossibile illi sit cum plena certitudine cognoscere ?

Quod si destitutus Episcopus contra fa-

ctum Summi Pontificis ad Concilium Provinciale confugeret, nihil magis obtineret. Confugeret enim a Superiore ad inferiorem, qui non plus auctoritatis habet in decreta et praecepta Summi Pontificis, quam habet ipse Episcopus. Neque vero Concilio Provinciali datur judicium legitimum in personam, aut in decreta Supremi Pastoris; quia *Papa non modo ovium, sed et Pastorum unus omnium Pastor est*. *S. Bernard. de Consid. lib.* 2. *cap.* 8.

Si autem destitutus Episcopus ad futurum generale Concilium a praecepto Papae appellare contenderet, jam jam ad Schismaticorum partes se deflectere insinuaret. Etenim scribit Franciscus Victoria relectione 4. propos. 20. *Omnes Appellationes hactenus factae ad Concilium male cesserunt, et tandem devenerunt in Schisma aliquod, vel etiam Haeresim*. Petrus de Marca *lib.*4.*cap.*17. vocat hanc appellationem ad Concilium novam quandam rationem in Ecclesiam invectam. *Novam dixi, quia nunquam in Ecclesia admissa fuit provocatio a Papa ad Concilium*. Hinc subjungit Charlas *de Libertat. Eccles. Gallic. lib.* 10. *num.* 10. *Libera erit omnino Gallia, sed a justitia, si posteriores quidam ejus libertatis vindices audiantur*.

Nam si Pontificis Decreta non arrideant , vel omnino contemnentur , utpote offendentia regulas , mores , et instituta a Regno , et Ecclesia Gallicana recepta , vel ab eis ad futurum Concilium provocabitur . Concilii autem Decreta non recipientur , atque adeo non obligabunt juxta illorum Scriptorum doctrinam . Caeterum hanc imputationem a Gallicana Ecclesia merito vindicat alibi idem Charlas , qui ostendit , doctrinam fuisse in Gallia receptam , quod a Papae sententia provocari non liceret . *lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 12. *Ita Hincmarus Episcopus Remensis , Ivo Carnotensis , Potho Presbyter Prumiensis , et alii etiam ex recentioribus Sanctae Sedi minus aequis , ut Carolus Feuretus lib.* 9. *de abusu cap.* 3. *num.* 15. Vide etiam de Petra *tom.* 5. *Comment. in Constit.* 5. *Pii secundi .*

Neque similiter licet a Pontificiis Decretis appellare ad Canones . Pertinet hoc ad Photii calliditatem , aut potius arrogantiam . Photii mentem exposuit in Concilio Constantinopolitano Act. 6. Zacharias Schismaticus Metropolita Chalcedonensis : *Et Papae Nicolai*, dixit, *et caeterorum Patriarcharum princeps Canon est...Cum ergo extra hunc faciunt, sive Papa Nicolaus, sive alius quis, non acquiescimus .* Ita protestavit etiam Euschemo schismaticus

Archiepiscopus Act. 7. Sed Canon secundus ejusdem Concilii definivit, ac sancivit servari semper, ac immutilata et illaesa custodiri, quae per Beatissimum Nicolaum tamquam Spiritus Sancti organum contra Photium invasorem decreta fuerant. Et notanda est sententia, a qua Canon ille exordium sumit, scilicet; *Obedite Praepositis vestris, et subjacete illis; ipsi enim pervigilant pro animabus vestris tamquam rationem reddituri; Paulus Magnus praecipit.*

Et certe si hujusmodi abusus praevalere pcsset in Ecclesia, ut a Summorum Pontificum decretis appellari liceret ex praetextu violatorum Canonum, nulla esset eorum jurisdictio et potestas, et frustra Christus in Ecclesia Pastorem Pastorum constituisset. Quis enim a Romano Pontifice gravatum se esse judicaret, et contra ejus sententias appellando non intercederet? Quod quanto impedimento ejus jurisdictioni futurum esset, quantum ejus auctoritatem et sollicitudinem infringeret, qualem in Ecclesia quotidianam perturbationem gigneret, quis non videat? Aequum est in hujusmodi casibus etiam privatam injuriam communi Ecclesiae paci postponere. Non licet alicui contra patrem familias scandala excitare,

et domum universam subvertere ex pretextu, quod salus ipsius domus periclitetur, si adversus illum praelia non intimentur. Cui pars sollicitudinis incumbit, nequit omnes agnoscere causas, quas penitus rimatur, et ante oculos sibi proponit ille, cui omnium Ecclesiarum sollicitudo concredita fuit. Adstat Spiritus Sanctus suo lumine et afflatu illi, quem universae Ecclesiae praefecit, ut Ecclesiae bono prospiciat, et illius praesentiam frustra possidere praesumeret ad universae Ecclesiae administrationem, qui fuit tantum vocatus in partem. Nec abs re existimo, si ad reverentiam, quae Summo Pontifici in his casibus exhiberi debet, ostendendam, aliqua recitaverim excerpta ex epistola Hildeberti Cenomanensis Episcopi in Gallia, quam ad refutandas obtrectantium in Paschalem Pontificem criminationes scripsit ad anonymum; legiturque in codice epistolarum ejus *lib.* 2. *epist.* 22. nov. edit. a P. Beaugendre adornatae. *Noli, noli obsecro, quisquis es, irrumpere temulenter, patrum instituta discutere, carpere mores, accusare doctrinam. Argue, sed cum primum rei exitum comprobaveris; accusa, sed cum perpenderis aberrasse. Sed et tunc in spiritu lenitatis; multa ex tempore, multa ex perso-*

nis differentius fiunt . Rector Ecclesiae nonnumquam aut dissimulabit , aut faciet , quod accusat . Cum viderit malum schismatis imminere , Canonum scita mutabit . Debet cessare censura , cum dissolvitur unitas , charitas laeditur , pax vacillat . Nescit plerumque, quid prohibere , aut dissimulare , quid praecipere , quid indulgere debeat dispensator . Nescis frater , nescis , quam diligenter , quam sollicite Patres faciunt , quod mireris , quod arguas , quod condemnes . Desine , inquam , spiritualium persequi sanctiones , secreta rimari , decreta damnare . In Canonibus legitur : oves Pastorem arguere non praesumant : quaecumque nescimus , quo animo fiant , interpretemur in melius . Universalis Episcopus Omnium habet Leges , et Jura Rescindere . Ad ipsos venio , qui audent aspirare judicium . Et tu homo , tu cinis , secundum Deum formica , leonem sollicitare non metuis? Differ differ in tempus opprobria . Sententia Cainan damnantur , qui patribus injurias irrogarunt : Confitere commissum , poenitentiam age , concute pectus , offensas luctu et lachrymis lava , et recantatis opprobriis , juxta quod dicitur , palinodiam canta . Tu ipse argue , tu ipse sententiam judicis anticipare festina .

Quid igitur in hujusmodi casibus agen-

dum est Episcopo? Docet de remedio illustris Galliae splendor, et Ecclesiae Doctor S. Bernardus in epistola 213. ad Papam Innocentium, a quo quum audiret irritari reconciliationem Petri Pisani, opera sua, et ipsius Pontificis auctoritate factam, sic illi scribit. *Quis mihi faciet justitiam de vobis? Si haberem judicem, ad quem vos trahere possem, jam nunc ostenderem vobis (ut parturiens loquor) quid meremini. Extat quidem tribunal Christi: sed absit, ut ad illud appellem vos, qui illic (si vobis necessarium, et mihi possibile esset) vellem magis totis viribus stare, et respondere pro vobis. Itaque recurro ad eum, cui in praesenti datum est Judicare de Universis, hoc est ad Vos. Vos appello ad vos: vos judicate inter me et vos.* Loquebatur quidem S. Bernardus confidenter, et familiariter cum Summo Pontifice, cui non solum subditus, sed prope amicus erat; et tamen simul docebat, a Summo Pontifice non licere ad alium appellare, neminem ejus dispositionum judicem esse posse, quia illi datum est *judicare de universis*. Siquidem scribebat idem Bernardus Eugenio Papae *de Consider. lib.2. c.8. num.16.* *Juxta canones tuos alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es.*

Aliorum potestas certis arctatur limitibus ; tua extenditur et in ipsos , qui potestatem super alios acceperunt . Nonne si causa extiterit , tu Episcopo caelum claudere , tu ipsum ab Episcopatu deponere , etiam et tradere satanae potes ? Stat ergo inconcussum privilegium tuum tibi tam in datis clavibus , quam in ovibus commendatis .

Neque sufficit reverentia , nisi etiam exhibeatur obedientia . Parum esset Apostolicae Sedis decreta revereri , si illis obedire detrectetur . En rursus quid scribebat ad Mediolanenses Bernardus *ep.* 131. *num.* 2. *Sed dicit aliquis . Debitam ei reverentiam exhibebo , et nihil amplius . Esto : fac quod dicis : quia si exhibeas debitam , et omnimodam . Plenitudo siquidem potestatis super universas orbis Ecclesias singulari praerogativa Apostolicae Sedi donata est . Qui igitur huic potestati resistit , Dei ordinationi resistit . Potest , si utile judicaverit , novos ordinare Episcopatus , ubi hactenus non fuerunt . Potest eos , qui sunt , alios deprimere , alios sublimare , prout ratio sibi dictaverit , ita ut de Episcopis creare Archiepiscopos liceat , et e converso , si necesse visum fuerit .... Porro in promptu est ei omnem ulcisci inobedientiam , si quis forte reluctari conatus fuerit .*

IMPRIMATUR

Si videbitur Rm̃o P. M. S. Palatii Apost.

Benedictus Fenaja Cong. Missionis Patr. Constantinop. Vicesg.

Die 26. *Maii* 1807.

NIHIL OBSTAT

Fr. Mauritius Bened. Olivieri Sac. Theol. Mag. Ord. Praed. In Romano Archigymnasio Hebraicarum litterarum Professor, a Rm̃o P.M. S.P. Ap. Revisor deputatus.

NIHIL OBSTAT

D. Vinc. Garofali Abbas Procurator Generalis Canonicor. Reg. SS. Salvatoris.

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Vincentius Pani Ordinis Praed. S. P. Ap. Mag.





